AUTHOR:

MIDDENDORF, CAROLUS

TITLE:

OBSERVATIONES IN EURIPIDIS BACCHAS ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1867

Master Negative #

93-81175-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG93-B323           Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - SAVE record
UNI
  ID:NYCG93-B323              RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:     AD:01-11-93
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:    SNR:     ATC:        UD:01-11-93
  CP:gw      L:lat     INT:?   GPC:?    BIO:?   FIC:?    CON:???
  PC:s      PD:1867/           REP:?    CPI:?   FSI:?    ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:         COL:     EML:      GEN:  BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Middendorf, Carolus.
  245 10  Observationes in Euripidis Bacchas‡h[microform].‡bDissertatio Philolog
          ica, quam...‡cin publico defendet Carolus Middendorf.
  260     Monasterii,‡btypis Coppenrathianis,‡c1867.
  300     50 p.
  LDG     ORIG
  QD      01-11-93
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

OBSERVATIONES IN EURIPIDIS BACCHAS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE X. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVII

IN PUBLICO DEFENDET

CAROLUS MIDDENDORF
GUESTFALUS.

MONASTERII.
TYPIS COPPENRATHIANIS.
MDCCCLXVII.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS.

Praefatio.

G. Bernhardyus (Prooem. hib. Hal. 1857 p. XI.) in Euripidis Bacchis superesse dicit „non spicilegium, sed uberrimam messem observationum.“ Haec verba viri clarissimi admodum me stimulaverunt, ut ad messem, quam doctissimi viri in hac tragoedia critice et hermeneutice tractanda fecerunt [1]), spicas aliquot novas colligere studerem. Quod mihi contigisse si viri docti iudicaverint, magno id mihi gaudio erit. — Commentationem autem meam sic institui, ut ad observationes criticas et hermeneuticas alias quasdam varias observationes, quibus opus videretur, maximam partem ad argumentum et oeconomiam huius fabulae pertinentes, adiicerem. Nam ipsum Baccharum argumentum et oeconomiam exponere supervacaneum duxi, quum id mihi iam ab aliis satis diligenter factum esse videretur. [2])

[1]) Praeter eos, qui cunctis Euripidis fabulis operam navarunt, hanc tragoediam ediderunt Brunckius (1780), Elmsleius (1821), Hermannus (1823), Schoenius (1851).

[2]) Cf. imprimis Schoene: De personarum in Eur. Bacch. habitu scenico. Lips. 1831. G. H. Meyer: De Eur. Bacch. Gotting. 1833. Raumer: Vorlesungen über die alte Geschichte, II. p. 505—509. Schoene: edit. Bacch. p. 9—28. Klein: Geschichte des Dramas, I. p. 492—500.

I.

Observationes criticae et hermeneuticae.

1. V. 94—95.[1])

λοχίοις δ'αὐτίκα νιν δέ-
ξατο θαλάμοις Κρονίδας Ζεύς.

Verbis *λοχίοις θαλάμοις* Schoenius Iovis femur dici existimat Hanc explicationem reiecit Adrianus [2]), non propter vitium aliquod constructionis aut sententiae difficultatem, sed quod admodum invenusta et languida foret eiusdem notionis repetitio (*λόχιοι θάλαμοι* i. e. „femur" et femoris vocabulum ipsum „*μηρός*" v. 96.), et quod verba *δέχεσθαι* et *καλύπτω*, quibus tertium accedat *κρύπτειν* v. 98., ferme synonyma essent.

Iure Adrianus Schoenii explicationem reiicit, sed argumenta illa, quibus eam refutat, non sufficiunt.

Schoenius verbis *λοχίοις θαλάμοις* Iovis femur per imaginem significari putat. Adrianus hanc imaginem et venustam et poeticam vocat; mihi secus videtur. Nam femur, quo Iuppiter Bacchum inclusit, huic non cubiculi puerperi, sed uteri instar erat. In femore suo tanquam in utero Iuppiter fetum nondum maturum nutriebat, peperit autem, quando Parcae perfecerant cornigerum deum (v. 99—100.). Ipsum Iovem chorus v. 526 dicentem inducit:

ἴθι, Διθύραμβ' ἐμὰν ὄρ-
σενα τάνδε βᾶθι νηδύν.

---

[1]) Numeri sunt editionis Nauckianae.

[2]) De cantico quod est apud Euripidem Bacch. vv. 367—426. Goerlitz. 1860. p. 8—11.

Ergo ut Iovis femur aptissime cum utero comparari potest, ita ineptissimum foret, si idem h. l. „cubiculum puerperum“ appellaretur.

Ceteras huius loci explicationes [1]) bene refutavit Adrianus atque iure probavit ingeniosam coniecturam Friderici Iacobsii, qui in animadverss. in Eurip. p. 107. pro *λοχίοις θαλάμοις* legi vult *λοχίαις παλάμαις*: „confestim illum Iuppiter manibus obstetriciis in custodiam suam recepit.“

2. V. 239—247.

εἰ δ' αὐτὸν εἴσω τῆςδε λήψομαι στέγης,
παύσω κτυποῦντα θύρσον ἀνασείοντά τε
κόμας, τράχηλον σώματος χωρὶς τεμών.
ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν,
ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐῤῥάφθαι Διός,
ὃς ἐκπυροῦται λαμπάσιν κεραυνίαις
σὺν μητρί, δίους ὅτι γάμους ἐψεύσατο.
ταῦτ' οὐχὶ δεινῆς ἀγχόνης ἔσι' ἄξια
ὕβρεις ὑβρίζειν, ὅστις ἐστὶν ὁ ξένος;

Ita codd., nisi quod v. 243. *ἐῤῥάφη* legitur, quod iure a Brunckio in *ἐῤῥάφθαι* mutatum esse credo. At hos versus sic ut traditi sunt, ab Euripide scribi non potuisse, bene vidit Kirchhoffius, qui ordinem versuum turbatum esse ratus vv. 242—46 post v. 238 transposuit et *ὑβρίζειν* (v. 247) in *ὑβρίζονθ'* mutavit. Melior et simplicior est Schoenii mutatio, qui vv. 242—47 post v. 238 transposuit. — At etiam tum restant difficultates. Primum, si Pentheus antea dixit, hospitis scelera *ἀγχόνης ἄξια* esse, cur tam celeriter mutato consilio cervicem se ei resecturum minatur? Tum quid haec sibi volunt: „*εἰ δ' αὐτὸν εἴσω τῆσδε λήψομαι στέγης*“? Num in palatio regio Pentheus se hospitem capturum esse sperat? Num illum tam mente destitutum fore opinatur, ut in aedem regis sibi infestissimi intrare audeat? Absurdum hoc esse apparet. — Ergo transponendo et corrigendo hic locus sanari non potest; contra omnia praeclara fiunt, si modo vv. 239—41 delemus, in quibus omnes loci difficultates sitae sunt.

[1]) Bothius vertit „Doch es nahm ihn von dem Ruhbett unverweilt Kronos' Sprossling“; Hartungius: „Und es nahm Zeus, der Kronid', ihn von der Kindbetterin Kammer.“

3. V. 286—297.

καὶ καταγελᾷς νιν, ὡς ἐνεῤῥάφη Διὸς
μηρῷ; διδάξω σ' ὡς καλῶς ἔχει τόδε.
ἐπεί νιν ἥρπασ' ἐκ πυρὸς κεραυνίου
Ζεύς, εἰς δ' Ὄλυμπον βρέφος ἀνήγαγεν νέον,
Ἥρα νιν ἤθελ' ἐκβαλεῖν ἀπ' οὐρανοῦ.
Ζεὺς δ' ἀντεμηχανήσαθ' οἷα δὴ θεός.
ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου
αἰθέρος, ἔθηκε τόνδ' ὅμηρον ἐκδιδοὺς
Διόνυσον Ἥρας νεικέων· χρόνῳ δέ νιν
βροτοὶ τραφῆναί φασιν ἐν μηρῷ Διός,
ὄνομα μεταστήσαντες, ὅτι θεᾷ θεὸς
Ἥρᾳ ποθ' ὡμήρευσε, συνθέντες λόγον.

Hos versus ad unum omnes tollendos esse censuit G. Dindorfius [1]), cui assenserunt Schoenius et Bernhardyus. [2]) Contra Fixius, Kirchhoffius, Nauckius hos versus recipere non dubitaverunt, et locum genuinum esse putat etiam Naegelsbachius. [3]) — Ut cognoscatur, utra sententia vera sit, antea, quomodo hic locus explicandus sit, considerandum est.

Maxima difficultas sita est in vv. 292—94. Verba obscura *ἔθηκε τόνδ' ὅμηρον ἐκδιδοὺς Διόνυσον Ἥρας νεικέων* vulgo sic explicantur: *ἔθηκε τόνδε* (sc. *ἐν τῷ αἰθέρι*), *Διόνυσον ἐκδιδοὺς ὅμηρον Ἥρας νεικέων*, i. e. rupta parte quadam aetheris ibi Bacchum seposuit, eum obsidem amovens Iunonis rixarum. Sic fere Portus, Musgravius, Matthiaeus, Schoenius. At haec explicatio e verbis elici nequit; deest enim „ibi“ (quapropter Schoenius pro *ἔθηκε τόνδε* scripsit *ἔθηκ' ἐν τῷδε*), et *τόνδε* tum nullum sensum praebet.

[1]) Ceterum iam Boeckhius Graec. trag. princ. p. 315 sqq. hos versus Mnesarchidae abiudicaverat et Euripidi minori tribuerat, a quo Bacchas, maiore Euripide defuncto, interpolatas esse suspicatur.
[2]) Proem. hib. Hal. 1857, p. V, [2]).
[3]) Nachhomerische Theologie. Nürnberg. 1857. p. 445.

Et quid tum hoc sibi vult, quod Tiresias Bacchum Iunoni obsidem traditum esse dicit? Matthiaeus quidem hoc ita explicare studet: „In aethere Bacchum abscondidit atque ita a deorum coetu amovit, ut hoc quasi pignus esset, quo Iuno rixari desineret, si causa odii et rixarum semota esset.“ Mihi haec interpretatio cum verbis „ὅμηρον ἐκδιδοὺς Ἥρας νεικέων“ et „Ἥρᾳ ὡμήρευσε“ nullo modo consociari posse videtur; haec enim verba prorsus sensu destituta sunt, nisi Bacchus Iunoni re vera obses traditus est.

Hoc sensisse videtur Hermannus, qui verba sic construenda esse ait: *Τόνδε (αἰθέρα* vel *μέρος αἰθέρος) ἔθηκε Διόνυσον, ὅμηρον ἐκδιδοὺς Ἥρας νεικέων*, „partem aetheris transmutavit in Bacchi formam et Iunoni obsidem dedit rixarum.“

Haec explicatio, quam secutus est Fixius, saltem quod ad sensum attinet, tolerari posset; at constructio nimis impedita et artificiosa est; primum enim male se habet *τόνδε* (pro *τόδε*), deinde verba *ὅμηρον ἐκδιδούς* non post *τόνδε*, sed post *Διόνυσον* ponenda fuissent, et iure Matthiaeus Hermanno obiicit: „qui hic *ἔθηκε τόνδ' ὅμηρον ἐκδιδοὺς Διόνυσον* recitari audiat, *τόνδε ὅμηρον* potius iungenda esse, quam *τόνδε Διόνυσον* credat.“ Huc accedit, quod v. 296—97 deus ipse Iunoni obses traditus esse dicitur neque simulacrum eius.

Mire hunc locum tractavit Hartungius in libro quem inscripsit: „Euripides restitutus sive scriptorum Euripidis ingeniique censura“ (Hamburgii 1843—44), vol. II. p. 543—44 (cf. eiusdem edit. Bacch. p. 39 et 164—65), qui eiectis duobus ultimis versibus (vv. 296 et 297) cetera inde a v. 292 sic scribenda esse coniecit:

ῥήξας μέρος τι τοῦ χθόν' ἐγκυκλουμένου
αἰθέρος, ἔθηκε τόνδ' ἐκεῖ· χρόνῳ δέ νιν
βροτοὶ τραφῆναί φασιν ἐν μηρῷ Διός.

Sensum totius loci hunc esse statuit: „Rides, quod eum femori aiunt Iovis insutum esse. Sed vide, quam hoc minime absurdum sit. Iuppiter quum in coelum sustulisset infantulum ex flamma ereptum, Iunone illum praecipitare volente dolum commentus est: abrupta enim parte (*μέρος*) aetheris terram universam cingentis istac inclusit infantem: unde factum est, ut in femore (*μηρός*) eum nutritum esse homines postmodum narrarent. Ex Anaxagorae philosophia haec fluxerunt, partes aetheris mentes tum deorum tum hominum esse docentis, et congruunt cum ea interpretatione, qua Minervam ex summis aetheris cacuminibus (id enim esse ex Iovis capite) natam esse noster docuit.“ — Veram autem scripturam in libris turbatam esse dicit intercalata alia nominis interpretatione, qua *μηρός* et *ὅμηρος* permutata vocabula esse docemur.

Ingeniosa quidem haec Hartungii explicatio et sensum satis aptum praebet; verisimilitudine tamen omnino caret, quum nimia licentia usus sit vir sagacissimus in eiiciendis et corrigendis versibus.

Quum autem praeter Hartungii explicationem duae tantum illae explicationes prolatae sint, quarum alteram (Porti, Musgravii, Matthiaei, Schoenii) totius loci sensui repugnare, alteram (Hermanni, Fixii) tantummodo constructione valde impedita et artificiosa e verbis extorqueri posse supra ostendi: iure iam dubitare licet, an totus hic locus (v. 286—297) subditicius sit. Haec suspitio certissimis argumentis confirmatur.

Primum hic locus aliis locis manifesto repugnat. Nam eiusdem fabulae (de Baccho Iovis femori insuto), quae h. l. a Tiresia, Bacchi defensore, refutatur, v. 243 Pentheus ipsum hospitem Lydium (i. e. Bacchum ipsum, qui sub hospitis Lydii persona latet) auctorem esse ait:

ἐκεῖνος εἶναί φησι Διόνυσον θεόν,
ἐκεῖνος ἐν μηρῷ ποτ' ἐῤῥάφθαι Διός.[1]

Idem narrat chorus in primo cantico (v. 96—98), quin etiam tum quum Tiresias hanc fabulam falsam esse docuit (v. 286—97),

[1] Non assentior G. Dindorfio et Schoenio, qui v. 243 spurium esse suspicantur.

chorus vatis sophismata non curans iterum hanc fabulam narrat (v. 523 sqq.). Eundem poetam adeo sibi ipsi repugnare profecto non credibile est.

Inepta sunt verba *καὶ καταγελᾷς*[1]) *νιν, ὡς ἐνεῤῥάφη Διὸς μηρῷ* i. e. et derides eum, quod insutus fuerit Iovis femori. Nam Pentheus non credit, Bacchum insutum esse Iovis femori, non credit omnino, ex Semele Bacchum deum natum esse. Ergo si negat, Bacchum Iovis femori insutum esse, non potest id, quod factum esse negat, Baccho obiicere et opprobrio vertere. Non poterat igitur ridere, quod Bacchus femori Iovis insutus esset, sed quod asseclae huius dei dicerent, Bacchum femori Iovis insutum esse; et scriptor horum versuum non scribere debebat: *καὶ καταγελᾷς νιν, ὡς ἐνεῤῥάφη Διὸς μηρῷ*, sed potius: *καὶ γελᾷς, ὡς λέγουσιν, ἐνραφῆναί νιν Διὸς μηρῷ.*

Non minus inepta sunt verba quae sequuntur: *διδάξω σ'· ὡς καλῶς ἔχει τόδε*, „docebo te, quam bene hoc se habeat." Nam absurda effutit vates, si dicit, hoc (sc. *τὸ ἐνραφῆναι Διὸς μηρῷ*) bene se habere i. e. non ridiculum esse, et tamen idem docet hanc fabulam ipsam non veram esse.

His, quae adhuc a me exposita sunt, adiungo G. Dindorfii adnotationem, qui verissime dicit: „His versibus ineptissime interrumpuntur, quae Tiresias de virtutibus dei a se celebrati exposuit. Ipsa autem fabulae explicatio, quae verbis illis continetur, ita est comparata, ut Proclum aliquem aut Olympiodorum audire videamur, non Euripidem, ridiculumque est ab Tiresia, qui cavere vult, ne ridiculus Pentheo videatur Dionysus, ea proferri, quibus et Deum illum et se ipsum deridendum praebeat. Ad haec accedit dictio inepta, confusa omninoque non Euripidea."

---

[1]) Monendum est etiam, *καταγελᾶν* praeter hunc locum nunquam, quod sciam, apud scriptores aevi classici cum Accusativo coniungi.

4. V. 306—308.

ἔτ' αὐτὸν ὄψει κἀπὶ Δελφίσιν πέτραις
πηδῶντα σὺν πεύκαισι δικόρυφον πλάκα
βάλλοντα καὶ σείοντα Βακχεῖον κλάδον.

In Ald. et post *πλάκα* et post *βάλλοντα* commate distinctum est. Brunckius post *βάλλοντα* comma delet et *πηδῶντα* cum *δικόρυφον πλάκα, βάλλοντα* cum *Βακχεῖον κλάδον* conjungit. At recte Matthiaeus: „*βάλλειν Βακχεῖον κλάδον*", inquit, „esset jaculari thyrsum tanquam missile; etsi vero thyrso nonnunquam pro missili utebantur Bacchae[1]), tamen quomodo huic loco convenit, quum nihil esset in Parnasso, quod missili suo peterent?" — Hermannus post *πεύκαισι* distinxit et *δικόρυφον πλάκα* accepit de Baccho rupem facibus collustrante. Comparat Eur. Phaet. fr. 1. *ἣν χθόνα Ἥλιος χρυσέᾳ βάλλει φλογί.* Hanc explicationem probat Schoenius, qui haec exempla adjungit:

Hom. Od. V, 479: *τοὺς ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν.*
Eur. Suppl. 673[2]): *ἀκτὶς ἡλίου ἔβαλλε γαῖαν.*
His addo Bacch. 14: *Περσῶν θ' ἡλιοβλήτους πλάκας.*

At haec omnia exempla ad nostrum locum non pertinent, quia omnibus illis locis sermo est de sole radiis suis terram collustrante et calefaciente. *βάλλειν* de sole dici non mirum, quippe qui radios suos tanquam sagittas emittat. At nego hoc verbum de taedis terram collustrantibus usurpari posse; nunquam enim *βάλλειν* simpliciter pro „collustrare" dicitur.

Iure igitur Matthiaeus pro *βάλλοντα πάλλοντα* conjecit, quam emendationem G. Dindorfius[3]), Fixius et Nauckius in textum receperunt. Euripidem vocabula duo *ἰσοδυναμοῦντα* saepe juxta se ponere notum est. Matthiaeus comparat:

V. 331[4]): *ἀνέμοις καὶ θυέλλαισιν.*
V. 486[5]): *δούπου τοῦδε καὶ βύρσης κτύπον.*
V. 554[6]): *οὐ λεύσσεις οὐδ' αὐγάζῃ.*

---

[1]) V. 762, V. 1099. — [2]) V. 650 ed. Nauck. — [3]) Oxon. 1832—33. — [4]) V. 350 ed. Nauck. — [5]) V. 513 ed. Nauck. — [6]) V. 597 ed. Nauck.

5. V. 402—408.

ἱκοίμαν ποτὶ Κύπρον,
νᾶσον τᾶς Ἀφροδίτας,
ἵν᾽ οἱ θελξίφρονες νέμον-
ται θνατοῖσιν Ἔρωτες,
Πάφον θ᾽ ἃν ἑκατόστομοι
βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ
καρπίζουσιν ἄνομβροι.

In quattuor prioribus versibus omnia plana et perspicua sunt; quaeritur autem, quis sit iste *βάρβαρος ποταμός*, qui in posterioribus tribus versibus commemoratur. Musgravius et Brunckius de Sestracho fluviolo, qui Paphum alluit, sermonem esse putaverunt; quum autem tum non quadraret epitheton *ἑκατόστομοι*, scripserunt *ἐρατόστομοι* „amoeno ostio in pelagus exeuntes". Meursius, G. Engelius[1]), Rossius[2]) de Bocaro, eiusdem insulae fluvio, cogitarunt, quibus assentitur Wieselerus[3]).

Neutra sententia probabilis est, quia ineptum foret, si Euripides h. l. rivulos quosdam Paphum alluentes celebraret, qui omnibus fere Atheniensibus certe prorsus ignoti essent.

Immo neminem Atheniensium qui haec verba Euripidis audiret, non de Nilo cogitasse puto. Nilo soli convenit epitheton *ἑκατόστομος*, quod poetica licentia dictum pro *πολύστομος*[4]); solus Nilus, fluvius Orientis longe celeberrimus, *κατ᾽ ἐξοχήν* „*ὁ βάρβαρος ποταμός*" vocari poterat.

At quid in animo habuit Euripides, quum Paphum et Nilum hoc modo conjunxit? Pauci, ut Elmsleius, hanc difficultatem se satis expedire posse negant. Alii ad conjecturas confugerunt, pro

[1]) Kypros, vol. I, p. 126 sqq., ubi commemorat rivulos quosdam Paphum alluentes, „Zweige eines vielarmigen Flüsschens, das von den Alten Βόκαρος, heute Dyarisos genannt wird". Idem p. 37 hoc Baccharum loco Βωκάρου pro βαρβάρου scribit.

[2]) Reisen nach der Insel Cypern, p. 179.

[3]) Göttinger Gelehrte Anzeigen. 1853. p. 680.

[4]) Schoenius apte comparat „ἑκατογκέφαλος ὕδρα" Herc. fur. 1188 (1190 ed. Nauck.).

Πάφον θ᾽ ἃν „*τὰν χθόν᾽ ἃν*" (Hartung.), „*πέδον τ᾽ ἔνθ᾽*" (Schoen.), „*χθόνα δ᾽ ἃν*" (Meinek.) aut simile quid scribentes, quo Aegyptus significaretur.

Hermannus solus, quae ratio h. l. Nilo cum Papho intercedat, in universum recte perspexit: „Veniam in insulam Cyprum, ubi Amores Paphum tenent[1]), quam barbari fluminis centeni rivi ditant. Nilum barbarum dicit, quia de Papho loquitur; non idem facturus, si de Aegypto sermo esset. Non autem fruges Aegypto in Cyprum advehi dicit, quae insula Strabone teste in fine libri XIV. *αὐταρκῆ σῖτον* gignebat, sed opes indicat omnigenas, quas trabe Cypria mercator Paphi congerat, per Nilum cum orientis regionibus commercia exercens."

Etiam huic explicationi non omnino assentiri possum. Nam in hoc haud dubie fallitur vir praestantissimus, quod putat de frugibus, quae Aegypto in Cyprum advehantur, cogitari non posse, quia Cyprus *αὐταρκῆ σῖτον* gigneret. Nam etiamsi concedendum sit, hanc insulam ipsam satis magnam frumenti copiam genuisse, tamen Paphus, urbs maritima et Aegypto exadversum sita, facilius frumenta ex Aegypto quam ex interiore insulae parte accipere poterat. Aegyptios autem cum Cypriis magna commercia habuisse constat, praesertim ex quo Cyprus ab Amasi rege expugnata erat. Aegyptus frumento abundabat, Cyprus metallis et materia navali: ut igitur Paphii ex Cypro metalla et materiam navalem in Aegyptum exportabant, ita naves vacuas Paphum redeuntes ab iis frumento oneratas esse consentaneum est. — Ergo si poetae verba sermone pedestri exprimere volumus, sententia haec est: Nilus (sive Aegyptus) frumentum suum tradit Papho emporio. —

Apparet autem verbis *ἑκατόστομοι βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαί* Aegyptum inferiorem sive Delta, partem Aegypti longe fertilissimam, significari.

[1]) Copulam θ᾽ post Πάφον delet et Πάφον cum νέμονται coniungit. Mihi hac coniectura non opus esse videtur; Πάφον θ᾽ enim epexegetice additum est: Veniam in insulam Cyprum et quidem Paphum.

At quid sibi vult epitheton *ἄνομβροι*? Mihi facete hoc dictum videtur; poeta enim hoc in animo habet: Nilus Paphum, ut Aegyptum, frumento ditat, quamquam Paphum non, ut Aegyptum, fecundantibus suis undis (*ὄμβρῳ*) irrigat.[1])

6. V. 430—31.

τὸ πλῆθος ὅ,τι τε φαυλότερον
ἐνόμισε χρῆταί τε, τόδ' ἂν δεχοίμαν.

Pal. et a prima manu Laur. *τὸ πλῆθος ὅτιπερ φαυλότερον ἐνόμισε χρῆταί τε ἐν τῷδε λεγοίμην ἄν.* — Ald. *τὸ πλῆθος ὅτι τε φαυλότερον ἐνόμισε χρῆταί τε, τόδε τοι λέγοιμ' ἄν.*

Postrema verba plerique editores cum Aldina sic scripserunt: *τόδε τοι λέγοιμ' ἄν*, quae Schoenius praeeunte Matthiaeo ita explicat: *τόδε τοι λέγοιμ' ἄν* sc. *νομίζειν καὶ χρῆσθαι.* Das Wort λέγειν drückt hier ein gemildertes *κελεύειν*, wofür es mitunter gradezu steht, aus: „anrathen" Soph. Trach. 137[2]). Eur. Orest. 914: *εἶπ' Ὀρέστην ἀποκτεῖναι.*

At in utroque exemplo a *λέγειν* sive *κελεύειν* Infinitivus pendet, neque unquam *λέγειν* pro *κελεύειν* vel *παραινεῖν* invenitur nisi sequente Infinitivo. Quapropter explicatio illa ab hoc loco omnino aliena est, quia post *λέγοιμ' ἄν* neque Infinitivus sequitur, neque ex antecedentibus commode suppleri potest. —

Hermannus scripsit *τόδε τοι λεγοίμαν*, quae sic explicat: *τόδε τοι λεγοίμαν νομίζειν καὶ χρῆσθαι.* Sensum igitur sic intellexisse videtur: „utinam hoc dicar credere et usurpare." At in hac explicatione idem notandum, quod iam antea notavi; nego enim ex antecedentibus verbis Infinitivos *νομίζειν καὶ χρῆσθαι* commode subintelligi posse. Immo si cum Hermanno *λεγοίμαν* scribendum

---

[1]) ἄνομβρος h. l. non est „sine imbribus", sed „sine undis". Similiter Soph. Oed. Col. 690 (ed. Bergk.) ὄμβρος fluvii undas significat: ὠκυτόκος πεδίων ἐπινίσσεται ἀκηράτῳ ξὺν ὄμβρῳ στερνούχου χθονός. — Non probanda igitur nostro loco Matthiaei coniectura ἄνομβρον, („carentem imbribus"), quam Hartungius, Nauckius, Kirchhoffius receperunt.

[2]) V. 136 ed. Bergk.: ἃ καὶ σὲ τὰν ἄνασσαν ἐλπίσιν λέγω τάδ' αἰὲν ἴσχειν.

esset, sic potius explicandum foret: „Hoc mihi eligam" i. e. hoc probem. Tum vero particula *ἄν* apud optativum deesse non posset. —

Mihi cum Kirchhoffio et Nauckio legendum videtur *τόδ' ἂν δεχοίμαν*[1]) („hoc accipiam" i. e. hoc probem).

Sed sive cum Ald. *τόδε τοι λέγοιμ' ἄν* scribimus, sive Hermanni sive Kirchhoffii conjecturam praeferimus, sensus semper paene eodem redit. Nam totius loci sententia pendet ex interpretatione eorum verborum, quae antecedunt: *τὸ πλῆθος ὅ, τι τε φαυλότερον ἐνόμισε χρῆταί τε.* In his Brunckius *ὅ,τι τε* in *ὅ,τι τὸ* mutavit, quod Matthiaeus, Hermannus et ceteri recentiores fere omnes receperunt. Hermannnus sic explicat: „Ad *τὸ πλῆθος* addidit *τὸ φαυλότερον*, quo vulgus ab illis, quos dixerat, sapientibus distingueret non ita doctum vulgus vocans." Hanc interpretationem, cui ceteri interpretes fere omnes[2]) assenserunt, nuper impugnavit Bernhardyus[3]). „*τὸ πλῆθος τὸ φαυλότερον*", inquit, Hermannus aliique ratione Graecis incognita de plebe minus docta acceperunt; retinenda tamen, ne sensum Euripidi subabsurdum obtrudamus, codicum scriptura *τὸ πλῆθος ὅ, τι τε φαυλότερον*, in qua neminem morari debet leve hyperbaton: „quicquid civitas (inquit) in rebus sacris rejicit et poenis arcet."

Cum hac explicatione ego in hoc tantum consentio, quod Aldinae scripturam *ὅ,τι τε* revocandam et *φαυλότερον* cum *ἐνόμισε* conjungendum puto. Nam ad *τὸ πλῆθος* hoc adjectivum referre propterea non licet, quod non credibile est, poetam qui h. l. multitudinem laudare vult, eam „*φαυλότερον*" appellasse, quod voca-

---

[1]) Bernhardyus l. l. p. X, 6: „τόδε τοι δεχοίμαν", Adrianus l. l. p. 35: „τόδ' ἀεὶ δεχοίμαν". Praeferendam duco Kirchhoffii coniecturam, quia sensus particulam ἂν requirit. — In versu strophico Kirchhoffius pro Βάκχαισι scribendum esse suspicatur Βάκχαις, quam lectionem iure dicit metro convenientiorem esse.

[2]) Hartungius pro χρῆται τε χρηστόν scripsit et post ἐνόμισε commate distinxit; sensum autem similiter ut Hermannus explicat:

„Was beim schlichteren Volk gäng u. gebe ist, soll stets mir das Beste scheinen."

[3]) l. l.

bulum semper contemptim usurpatur. — Sed in omnibus ceteris rebus a Bernhardyo omnino dissentio. Primum enim *χρῆται* falso explicat „poenis arcet“; nam illud verbum sine ullo additamento certe hoc significare non potest. Deinde *τὸ πλῆθος* non, ut Bernhardyus putat, c i v i t a t e m, sed multitudinem significat; *τὸ πλῆθος* enim opponitur *τοῖς περισσοῖς φωσί* (v. 429). Denique cum Bernhardyi sententia verba *τόδ' ἂν δεχοίμαν* sive, ut ipse scribere mavult, *τόδε τοι δεχοίμαν*, nullo modo apte consociari possunt. Mihi sic explicandum videtur: „Quod multitudo et vilius existimat (i. e. quod rejicit) et quo utitur (i. e. quod tenet), hoc ego accipiam (et rejiciendum et tenendum)“. Opposita sunt *ὅ,τι φαυλότερον ἐνόμισε* (quod rejicit) et (*ᾧτινι*) *χρῆται* (quod tenet).

7. V. 465—466.

> *ΠΕ. πόθεν δὲ τελετὰς τάσδ' ἄγεις εἰς 'Ελλάδα;*
> *ΔΙ. Διόνυσος ἡμᾶς εὐσέβησ' ὁ τοῦ Διός.*

Libri vitiose *εὐσέβησ'*; Abreschius conjecit *εἰςέβησ'*, quam conjecturam recepit Brunckius et plerique recentiorum. Falso tamen Schoenius Fixio et Hartungio praeeuntibus sic explicat: „Führte d. h. weihte ein“. Nam neque *εἰσβῆσαι* sc. (*εἰς τελετάς*) pro „initiare“ Graecum esse puto, neque h. l. ad *εἰςέβησ'* ex antecedentibus apte suppleri potest „*εἰς τελετάς*“. Immo qui Abreschii conjecturam probent, eos ad *εἰςέβησ'* ex praecedente versu *εἰς 'Ελλάδα* supplere necesse est. Sed ne hoc quidem ferri potest propter sequentia: *Ζεὺς δ' ἔστ' ἐκεῖ τις, ὃς νέους τίκτει θεούς;* nam illud *ἐκεῖ* ad Lydiam, non ad Graeciam, spectat. — Praeterea hic versus ad eum qui antecedit, omnino non quadrat. Nam quum Pentheus interroget: *π ό θ ε ν δὲ τελετὰς τάςδ' ἄγεις εἰς 'Ελλάδα*, inepte responderet Bacchus, si diceret: *Διόνυσος ἡμᾶς εἰςέβησ' ὁ τοῦ Διός*. Pentheus non scire vult, q u i s eum initiaverit (vel q u i s eum in Graeciam duxerit), sed u n d e mysteria in Graeciam intulerit.

Ostendisse mihi videor, hunc versum gravius corruptum neque Abreschii conjectura emendatum esse.

8. V. 484.

> *τάδ' εὖ γε μᾶλλον. οἱ νόμοι δὲ διάφοροι.*

Portus et post eum Elmsleius et Schoen. *μᾶλλον εὖ* pro *ἄμεινον* dictum esse adnotant. Falso, ut mihi videtur. Nam *μᾶλλον εὖ* pro *ἄμεινον* num Graece dici possit, vehementer dubito; hoc autem loco *μᾶλλον* non „magis“, sed „potius“ significat. Baccho, qui omnes barbarorum gentes orgia sua celebrare gloriatur (V. 482), Pentheus objicit, multo pejus sentire barbaros, quam Graecos (V. 483). Tum respondet deus, in his rebus (quae ad orgia pertinent), barbaros non male, sed potius bene sentire.

9. V. 523—25.

> *ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀ-*
> *θανάτου Ζεὺς ὁ τεκὼν ἥρ-*
> *πασέ νιν, τάδ' ἀναβοάσας.*

Verba *Ζεὺς μηρῷ νιν ἥρπασε* mihi nullum sensum praebere videntur. Fixius quidem vertit „quando in femur ex immortali igne Juppiter rapuit ipsum“, et similiter Hartungius: „Da es Zeus, der es erzeugt, rafft' aus der nie sterbenden Brandgluth in die Hüfft'“. Ergo putant viri docti, *μηρῷ νιν ἥρπασε* pro *εἰς μηρόν νιν ἥρπασε* dictum esse. Equidem hanc constructionem, donec eam exemplis firmatam videam, non Graecam esse puto.

Aliud accedit, cur vitium aliquod in his verbis latere sit certissimum. Q u a n d o enim fons Dirce Bacchum undis suis recepit? Legimus V. 519—25, Bacchum in fonte Dirce lavatum esse, postquam genitor eum femori suo incluserit: *ὅ τ ε μ η ρ ῷ πυρὸς ἐξ ἀθανάτου Ζεὺς ὁ τεκὼν ἥ ρ π α σ έ νιν*. At hoc absurdum est; nam non p o s t q u a m, sed p r i u s q u a m Jovis femori inclusus est, Bacchum in fonte lavatum esse consentaneum est.

Vitium latere videtur in voce *μηρῷ*, quod vocabulum si deleretur, et constructio et sensus bene se haberent; at simpliciter delere metrum non patitur. Certam emendationem non reperi. Venit mihi in mentem, fortasse sic scriptum fuisse:

ὅτε μαλεροῦ[1]) *πυρὸς ἐξ ἀ-*
θανάτου Ζεὺς κ. τ. λ.

10. V. 530—32.

σὺ δέ μ', ὦ μάκαιρα Δίρκα,
στεφανηφόρους ἀπωθεῖ
θιάσους ἔχουσαν ἐν σοί.

Si haec verba recte sunt tradita, poeta fontem Dircen appellat. At quid tum sibi volunt verba *θιάσους ἔχουσαν ἐν σοί*? Haec de fonte Dirce non posse dici manifestum est. Quapropter conjicio, Euripidem scripsisse:

σὺ δέ μ', ὦ μάκαιρα[2]) *Θήβα.*

Nomen *Δίρκα* sive errore librarii. sive grammatici fraude ex V. 520 in hunc locum translatum est; hoc enim eo facilius fieri poterat, quod in utroque loco est allocutio, et quum in priore loco chorus Dircen alloquatur, consentaneum visum est grammaticis, etiam in altero loco Dircen appellari.

At forsitan dicat quispiam, „*Δίρκη*" nostro loco idem valere, quod „*Διρκαία πόλις*" i. e. Thebae, itaque nihil mirum habere illud *ἔχουσαν ἐν σοί*. Nego, mihi hoc iure obiici posse. Nam etsi haec urbs non raro a poetis „*ἡ Διρκαία πόλις*" vocatur, nemo tamen, quod sciam, eam „*Δίρκην*" nominavit; sed etiamsi alioquin sic appellari posset, tamen in uno eodemque cantico fieri non posset, ut idem nomen v. 520 fontem, v. 530 urbem significaret.

11. V. 538—44.

'Αναφαίνει χθόνιον
γένος ἐκφύς τε δράκοντός
ποτε Πενθεύς, ὃν 'Εχίων
ἐφύτευσε χθόνιος,

---

[1]) Si μαλεροῦ legimus, duas breves syllabas pro una longa habemus. Versus antistrophicus (V. 542) unam longam praebet. Eadem ratione stropha antistrophae respondet V. 522 (τὸ Διὸς βρέφος)= V. 541 (ἐφύτευσε) et V. 525 (-πασέ νιν τάδ' ἀ-)= V. 544 (τε γίγαντ' ἀν-).

[2]) Thebae beatae vocantur propter adventum Bacchi et sacrorum eius beneficia. Eandem ob causam V. 565 Pieria felix praedicatur:

μάκαρ ὦ Πιερία,
σέβεταί σ' Εὔιος, ἥξει
τε χορεύσων —.

ἀγριωπὸν τέρας οὐ φῶ-
τα βρότειον, φόνιον δ' ὥσ-
τε γίγαντ' ἀντίπαλον θεοῖς.

Prellerus[1]) errat, si Pentheum hoc loco ut hominem ferocem et ingentem, statura viribusque gigantibus similem describi putat. Nam primum in verbis *ἀγριωπὸν τέρας* nihil nisi mira eius ferocitas adversus Bacchum expressa est; deinde *οὐ φῶτα βροτεῖον* eum appellat poeta, quia non mortalia spirat; non enim hominis mortalis est cum diis ipsis certare. Cum gigantibus igitur non propterea comparatur, quod statura viribusque gigantibus similis sit, sed quod, ut olim gigantes, cum diis ipsis pugnare audeat. Itaque multis locis Pentheus vituperatur, quod quamvis mortalis sit, diis immortalibus adversetur; cf. V. 45, 635 sq., 1255.

12. V. 560—64.

— ἐν τοῖς πολυδένδρεσ-
σιν 'Ολύμπου θαλάμοις, ἔν-
θα ποτ' 'Ορφεὺς κιθαρίζων
σύναγεν δένδρεα Μούσαις,
σύναγεν θῆρας ἀγρώτας.

In his non solum inepta tautologia inest (*δένδρεα—πολυδένδρεσσιν*), sed etiam absurdum videtur, si Orpheus in Olympi t h a l a m i s a r b o r e s congregare dicitur. — Porro *Μούσαις* h. l. appellativum est: „c a n t i l e n i s suis congregabat arbores;" sed quamquam hoc nomen Euripidis aetate passim illa notione occurrit, tamen hoc loco, ubi de Olympo, Musarum ipsarum sede, sermo est, parum apte nomen *Μοῦσα* pro appellativo usurpatur. — Propterea V. 563 subditicium esse puto. Additus esse videtur ab erudito quodam lectore, qui ex mythologia sciret, Orpheum non tantum feras, sed etiam a r b o r e s vocis dulcedine movisse.

---

[1]) Griechische Mythologie I, 539.

13. V. 605—607.

— *ἤθησθ' ὡς ἔοικε Βακχίου,*
διατινάξαντος δῶμα Πενθέως. ἀλλ' ἐξανίστατε
σῶμα καὶ θαρσεῖτε σάρκας ἐξαμείψασαι τρόμον.

Vitiosum codicum scripturam V. 606 Schoenius ita correxit:

διατινάξαντος τὰ Πένθεως. ἀλλ' ἄγ' ἐξανίστατε.

Ellipsin *τὰ Πενθέως* sc. *δώματα* confirmare studet Homerica locutione „*βούλομαι νεῖσθαι ἐφ' ἡμέτερα*“. Hom. Od. XV, 88, Il. IX, 619. At in hac quidem locutione Accusativus *δώματα* facillime subintelligi potest, quoniam in verbo *νεῖσθαι* vis domum redeundi inest. At nostro loco Accusativus *δώματα* deesse non potest. — Acquiescendum videtur in Musgravii emendatione:

διατινάξαντος τὰ Πενθέως δώματ'. ἀλλ' ἀνίστατε[1])

In sequenti versu cum Reiskio scribendum puto *σαρκὸς ἐξαμείψασαι τρόμον* pro vulgata *σάρκας κ. τ. λ.*, quam frustra mihi defendisse videtur Hermannns.

14. V. 647.

στῆσον πόδ, ὀργῇ δ' ὑπόθες ἥσυχον πόδα.

Ita codd. et Ald.—Elmsleius qui hanc scripturam defendit, confert Med. 217: *οἱ δ'ἀφ'ἡσύχου ποδὸς | δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.* Vocabulum *πόδα* tantulo intervallo repetitum a tragicorum consuetudine minime alienum esse adnotat; exempli gratia affert V. 757: *οἱ δ'ὀργῆς ὕπο | εἰς ὅπλ' ἐχώρουν φερόμενοι Βακχῶν ὕπο.* Idem tamen addit: „Sed nondum apparet, quid significet *ὑπόθες*. Interpretes „subjice“. Minus ambiguum esset „suppone“ vel potius „substitue“. — Hermannus sic explicat: „Quum iubet irae supponere tranquillum pedem, hoc videtur monere, ut ille

¹) Mihi quidem in mentem venerat, scribendum esse:

διατινάξαντος τὰ δώματ'. ἀλλ' ἄγ'ἐξανίστατε.

Suspicabar enim vocabulum Πενθέως explicandi gratia in margine adscriptum librarii errore in textum irrepsisse, tum autem Grammaticos versum semel turbatum frustra emendare conatos magis turbavisse. Nunc tamen Musgravii emendationem praefero, quia simplicior est.

quamvis iratus, tamen citatum pedis gradum cohibeat neque tanto cum impetu ruat.“

Mihi vulgata non satis apte explicari posse videtur; absurda enim haec sunt: „irae tranquillum pedem suppone.“ Fixius coniecit „*ἥσυχον βάσιν*, Schoenius *ἡσυχαίτερον* (sc. *πόδα*).[1]) At his coniecturis neque tautologia tollitur neque sensus adiuvatur. — His longe praestat Musgravii coniectura *ἥσυχον τρόπον*, quam recepit Hartungius, qui de verbis *ἥσυχος τρόπος* i. e. *ἡσυχία* conferri iubet Hippol. 196 et 205.

Ego Euripidem sic scripsisse suspicor:

στῆσον πόδ', ὀργῇ δ' ὑπόθες ἥσυχον φρένα

i. e. „pedem siste et irae tuae tranquillam substitue mentem.“

15. V. 754—757.

— *ἥρπαζον μὲν ἐκ δόμων τέκνα,*
ὁπόσα δ' ἐπ' ὤμοις ἔθεσαν, οὐ δεσμῶν ὕπο
προςείχετ' οὐδ' ἔπιπτεν εἰς μέλαν πέδον,
οὐ χάλκος, οὐ σίδηρος.

Non recte, ut mihi videtur, nonnulli editores post v. 754 lacunae signa ponunt. Sensum enim hunc esse puto: „Rapuerunt ex domibus infantes, et quotquot (infantes) humeris imposuerunt, nullis vinculis tenebantur et tamen non dejiciebantur.“ Infantes enim h. l. a Maenadibus humeris portari, intelligitur ex imitatione Nonni (XLV. 294), qui haec ita exprimit:

ἄλλη δὲ τριέτηρον ἀφαρπάξασα τοκῆος
ἄτρομον, ἀστυφέλικτον, ἀδέσμιον ὕψοθεν ὤμων
ἵστατο κουφίζουσα μεμηλότα παῖδα θυέλλαις,
ἑζόμενον γελόωντα, καὶ οὐ πίπτοντα κονίῃ.[2])

ὁπόσα igitur ad *τέκνα* referendum, et falso Fixius vertit: „et quidquid humeris imposuerunt.“

¹) Schoenius explicat: „Pentheus wird gemahnt, seinen hastig daherstürmenden Fuss einzuhalten und ihn seinem Zorne ruhiger unterzulegen, d. h. seinen Zorn insoweit zu mässigen, um ruhig dazustehen.“

²) Ita hunc locum correxit Hermannus, qui eum attulit ad Bacch. 746 suae edit.

Ergo post v. 754 nihil deest. Mihi potius ante v. 757 lacuna esse videtur. Editores verba *οὐ χάλκος. οὐ σίδηρος* cum antecedentibus coniungunt, et Hartungius quidem vv. 755—57 sic vertit:

„Und jede Bürde auf ihren Schultern schwebte frei,
Von keinem Band gehalten: Erz und Eisen selbst
Fiel nicht zum dunklen Grunde.“ —

At ridiculum esset, si nuntius narraret, Maenades vasa ahenea et ferrea humeris imposuisse, et quamvis non vinculis alligata essent, tamen ea non in terram decidisse. Vasa ahenea et ferrea humeris portari ibique vinculis alligari solere, mihi prorsus ignotum est. — Non dubito igitur quin ante v. 757 complures versus exciderint.

16. V 757—58.

— *ἐπὶ δὲ βοστρύχοις*
πῦρ ἔφερον οὐδ' ἐκαίεθ'. —

Ita codd. — Elmsleius coniecit *οὐδ' ἔκαιεν,* quod recentiores omnes receperunt. At nulla emendatione opus est. *ἐκαίεθ'* ad *πῦρ* referendum, eo scilicet sensu: ignem ferebant, sed non a r d e b a t. *καίειν* est urere, *καίεσθαι* ardere. Si *ἐκαίεθ'* legimus, ignem ferunt Bacchae, qui ardere videatur, re vera tamen non ardeat. Contra si *ἔκαιεν* legitur, ignem ferunt, qui ardeat quidem, sed Bacchas non urat. At primum monendum, tum Accusativum *Βάκχας* non bene deesse posse. Deinde si de igne ardenti sermo est, unde hunc ignem sumpserunt? Num ligna ardentia aut faces ex domibus rapuerunt et capillis suis imposuerunt? Tale quid cogitare videtur Fixius, qui vertit: „in capillis etiam ignem raptum ferebant neque urebat eas“ et Hartungius (Eur. Restitutus II, 550) „in comis f a c e s a r d e b a n t nec urebant.“ Mihi non nisi de specie ignea sermo esse videtur, quam Bacchus Maenadum capitibus circumdet. De specie ignea etiam Nonnus cogitare videtur, qui hunc locum imitatur XLV, 338 sqq., ceterum haec, quae Euripides de Maenadibus narrat, ad Pentheum transferens:

— *ἀμφὶ δὲ πέπλοις*
πορφυρέοις καὶ στέρνον ἁλιχλαίνου βασιλῆος
πυρσὸς ἕλιξ πεφόρητο, καὶ οὐκ ἔφλεξε χιτῶνας.

17. V. 792—93.

οὐ μὴ φρενώσεις μ', ἀλλὰ δέσμιος φυγὼν
σώσει τόδ'; —

Schoenius verba *σώσει τόδ'* explicat: „im Gedächtniss behalten“ et comparat Eur. Suppl. 916: *ἃ δ'ἂν μάθῃ τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ.*“ At *σώζεσθαι* semper est „servare,“ „conservare,“ nunquam „memoria tenere.“ Eur. Suppl. 916 e x n e x u s e n t e n t i a r u m (*ἃ δ' ἂν μάθῃ τις*) elucet, de memoria sermonem esse. Ergo hoc exemplum cum nostro loco comparari nequit, et acquiescendum est in Brunckii explicatione „hoc tibi conserva,“ „hoc ne amittas caveto.“

18. V. 842.

πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ 'γγελᾶν Βάκχας ἐμοί.

Hic versus ab interpolatore imperitissimo additus; primum enim constructio vitiosa est; nam quum haud dubie sensus sit: „Quidvis satius, quam ut Bacchae me irrideant,“ non scribendum erat: *πᾶν κρεῖσσον ὥστε μὴ 'γγελᾶν κ. τ. λ.*, sed *πᾶν κρεῖσσον ἢ ὥστ' ἐγγελᾶν κ. τ. λ.*

Iam vero sententiarum nexus hoc versu turbatur (male enim v. 843 ad v. 842 se applicat); sensus autem perversus est; non enim B a c c h a r u m risum timet Pentheus, sed T h e b a n o r u m, cf. v. 840, 854 sqq. A Bacchis ei non imminet derisio, sed pericula graviora, cf. v. 823, 837.

19. V. 847.

ἥξει δὲ Βάκχας οὗ θανὼν δώσει δίκην.

Hic versus non solum supervacaneus, sed etiam molestus est. Totius enim loci sensum hunc esse patet: „Pentheus dolo meo circumventus est; iam tuum est, o Bacche, inceptum meum perficere et iustam poenam ab homine impio exigere.“ Hic

sentententiarum nexus hoc versu, de quo agimus, male interrumpitur. — Ad dictionem quod attinet, non aptum est adverbium loci *οὗ*, pro quo *παρ' οἷς* vel *ὑφ' ὧν* expectes. Monendum etiam, verbum *ἥκειν* contra tragicorum consuetudinem cum mero Accusativo personali, omissa praepositione, coniunctum esse.[1]) Ad haec momenta aliud accedit, quo certissimum fiat, versum spurium esse. Nam hic versus in codicibus legitur ante v. 848 (*γυναῖκες, ἁνὴρ εἰς βόλον καθίσταται*). Editores recentiores omnes, praeeunte Musgravio, eum post v. 848 transposuerunt. At si uterque versus genuinus esset, vix fieri potuisset, ut ordo horum versuum in codicibus turbaretur. Immo non dubium est, quin v. 847 (*ἥξει δὲ Βάκχας κ. τ. λ.*), olim explicandi gratia ad v. 848 in margine adscriptus, ab imperito librario in textum illatus et quidem ante v. 848 positus fuerit.

20. V. 851—53.

— ὡς φρονῶν μὲν εὖ
οὐ μὴ θελήσῃ θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
ἔξω δ' ἐλαύνων τοῦ φρονεῖν ἐνδύσεται.

Fixius postremum versum ita vertit: „sed extra mentis sanitatem evagans induet.“ At evagandi notio in verbo *ἐλαύνειν* neque h. l. inest neque unquam inesse potest. Quum autem *ἐλαύνειν* neque hanc neque aliam explicationem admittat, suspicor in hoc verbo vitium latere et scribendum esse:

ἔξω δ' ἀλύων τοῦ φρονεῖν ἐνδύσεται.

21. V. 859—61.

— γνώσεται δὲ τὸν Διὸς
Διόνυσον, ὃς πέφυκεν ἐν τέλει θεὸς
δεινότατος, ἀνθρώποισι δ' ἠπιώτατος.

---

[1]) cf. Kruegerus Gr. Gr. II, §. 46, 3, 2. Errat tamen Kruegerus, quum hanc constructionem apud poetas scenicos nusquam inveniri putat. Nam talis constructio (praeter nostrum locum) invenitur Bacch. 1354:

ἐγὼ θ' ὁ τλήμων βαρβάρους ἀφίξομαι.

Hoc tamen exemplo regula illa non infringitur, nam si Cadmus dicit: „βαρβάρους ἀφίξομαι,“ minus de personis, quam de locis, ad quae perventurus sit, cogitare videtur.

Hermannus construit: „*γνώσεται δ' ἐν τέλει Διόνυσον ὅς πέφυκε, θεὸς δεινότατος, ἀνθρώποις δ' ἠπιώτατος*“ *Ὅς* dictum putat pro *τίς*; *ἐν τέλει* autem esse „in fine,“ „postremo.“ Sensum igitur sic explicat: „cognoscet postremo, qui sit Bacchus, qui est deus potentissimus hominibusque benignissimus.“ At neque *ἐν τέλει* unquam valet „postremo,“ neque cum *γνώσεται* coniungi potest. Porro *ὅς* pro *τίς* reperitur quidem Oed. Tyr. 1068: *ὦ δύσποτμ', εἴθε μήποτε γνοίης, ὃς εἶ.* At nostro loco *ὅς* neque pro *τίς* dictum esse neque omnino verba *ὅς πέφυκε κ. τ. λ.* a *γνώσεται* pendere possunt; Pentheus enim non cognoscet, Bacchum deum potentissimum hominibusque benignissimum fore.[1])

Non magis placet Schoenii explicatio, qui verbis *ἐν τέλει* in *εἰς τέλη* mutatis sic explicat: „In Beziehung auf seine Mysterien ist er ein gewaltiger Gott, sonst aber der mildeste gegen die Menschen.“ At illud „sonst“ in Euripides verbis neque inest neque sensu subintelligi potest. Ex hac autem particula „sonst“ tota Schoenii explicatio pendet, si enim haec particula deest, non apte opposita sunt *εἰς τέλη δεινότατος* et *ἀνθρώποισιν ἠπιώτατος*, quum inter *εἰς τέλη* et *ἀνθρώποισιν* nulla omnino oppositio intersit.[2])

Non multum a vero abhorret Elmsleji explicatio, qui ad h. l. adnotat: „Sensus est: *γνώσεται δὲ τὸν Διὸς Διόνυσον οἷός ἐστιν.* — *ἐν τέλει* pro *παντελῶς* „omnino“ dictum videtur, ut sine praepositione Sophocles Oed. T. 198. *τέλει γὰρ εἴ τι νὺξ ἀφῇ, τοῦτ' ἐπ' ἦμαρ ἔρχεται.* Vox *ἀνθρώποισιν* ad utrumque membrum pertinet, quasi dixerit poeta: *δεινότατος ἀνθρώποισιν, ἠπιώτατος δέ.* Similiter noster Danaës fragm. 6. 3. *οὐ γὰρ ἡδονή, γυναικὶ δ' ἐχθρὸν χρῆμα πρεσβύτης ἀνήρ.*“

---

[1]) cf. Hartungius ad h. l.

[2]) Nauckius pro ἐν τελει ἐνστάταις coniecit, Badhamus pro ἀνθρώποις εὐνοοῦσιν. Non admittendas quidem has coniecturas puto, quia non necessariae sunt; sed certe praeclarum sensum praeberent: „cognoscet Iovis filium Bacchum, qui inimicis est deus maxime timendus, benevolis autem mitissimus.“

Haec explicatio in universum quidem probanda est, in hoc tamen fallitur Elmsleius, quod *ὃς πέφυκε* pro *οἷός ἐστι* dictum et ad *γνώσεται* referendum putat. Immo haec verba, ut supra dixi, a *γνώσεται* pendere nequunt. — Ipsi Elmsleio vocabulum *πέφυκεν* iam suspectum fuit; dubitat enim, an *πέφηνεν* scribendum sit, ut v. 42, 182; et confusorum *πέφηνε* et *πέφυκε* exempla praeter alios praebere dicit Aesch. Prom. 111 et Soph. El. 646. *Πέφηνεν* nostro loco legisse videtur scriptor versus spurii 182: *Διόνυσον ὃς πέφηνεν ἀνθρώποις θεός.* quem versum ex v. 860 confictum esse recte iudicat Dobraeus.[1])

Iure igitur hanc coniecturam recepit Hartungius, qui recte hunc locum sic interpretatus est:

„Kennen lernt er dann den Sohn des Zeus,
Dionysos, der vollkommen als gewaltiger Gott
Der Welt sich offenbarte und höchst wohlthätiger."

22. V. 888—90.

κρυπτεύουσι δὲ ποικίλως
δαρὸν χρόνου πόδα καὶ
θηρῶσιν τὸν ἄσεπτον. —

Musgravius et post eum recentiores omnes coniungunt verba *δαρὸν χρόνου πόδα*, quam locutionem poeticam esse dicunt pro „*μακρὸν χρόνον.*"[2]) Conferunt Ar. Ran. V. 100, ubi inter tragicorum *παρακινδυνεύματα* recensentur: *αἰθέρα Διὸς δωμάτιον ἢ χρόνου πόδα;* ad quem versum Schol. adnotat: *ἐξ Ἀλεξάνδρας Εὐριπίδου: „καὶ χρόνου πρόβαινε πόδα."* Elmsleius in Alexandra fuisse suspicatur „*καὶ χρόνου προίβαινε πούς.*"

At nego hunc Alexandrae versum cum nostro loco comparari posse. Nam in Alexandrae versu facile est intellectu, cur illa metaphora poeta usus sit; si enim tempori progressum tribuit

[1]) cf. G. Dindorf. ad v. 182 et 860.

[2]) Intelligere non possum, quid sibi velit Fixius, qui h. l. sic vertit: „Occultis enim insidiis dii celant callide tardum temporis pedem et venantur impium."

(*προύβαινε*), consentaneum erat, tempori etiam pedes tribuere. At eadem metaphora, quae in illo versu est aptissima, nostro loco inepta esset; nunquam enim „temporis pes" significare potest „temporis spatium." Falsa igitur Schoenii adnotatio: „*χρόνου πόδα* Bild für den Fortschritt d. h. die Dauer der Zeit." Plane autem absurda locutio *χρόνου πόδα* h. l. foret propter epitheton *δαρόν;* absurdius enim nihil inveniri potest, quam hoc, tempori longum pedem tribuere. Ergo coniungendum est: *δαρὸν χρόνου κρυπτεύουσι πόδα* (i. e. *σφέτερον πόδα*) „occultant dii pedem suum per longum tempus; tum vero veloci pede impium venantur."

23. V. 916.

μητρός τε τῆς σῆς καὶ λόχου κατάσκοπος.

Hunc versum non Euripidis esse suspicor. V. 912 sqq. Bacchus Pentheum ex aede regia muliebri vestitu exiturum sic alloquitur:

Σέ, τὸν πρόθυμον ὄνθ' ἃ μὴ χρεὼν ὁρᾶν
σπεύδοντά τ' ἀσπούδαστα, Πενθέα λέγω,
ἔξιθι πάροιθε δωμάτων, ὄφθητί μοι
σκευὴν γυναικὸς Μαινάδος Βάκχης ἔχων,
πρέπεις δὲ Κάδμου θυγατέρων μορφῇ μιᾷ.

Iam inter postremos duos versus (v. 915 et 917) interpolator versum illum, de quo agimus, intercalavit, qui non solum supervacaneus et ab hoc loco plane alienus est, sed etiam alia interpolationis signa prae se fert. Primum enim *λόχος* manifesto de Baccharum Thebanarum thiaso intelligendum est; at nunquam in hac fabula Baccharum chorus *λόχος*, sed semper *χορός* vel *θίασος* appellatur.[1]) Hoc sensisse videtur Hermanns, qui pro **καὶ λόχου** *ἐκ λόχου* „ex insidiis" scripsit. At Pentheus non solam matrem,

[1]) cf. Hartungius ad h. l.: „Allerdings wird dieses Wort figürlich auch von anderen Schaaren ausser den Kriegerschaaren gebraucht, jedoch immer nur so, dass eine geschlossene Truppe, die mit vereinter Kraft irgend etwas auszurichten hat, bezeichnet wird. Den Bakchantenschwarm dagegen sehen wir in dieser Tragoedie nirgends *λόχος*, sondern immer *χορός* und *θίασος* genannt."

sed totum Baccharum thiasum in Cithaerone observare vult, quapropter iure Hartungius Hermanni emendationem reiecit, ipse autem *καὶ χοροῦ* scripsit. At non verisimile est, vocabulum notissimum et praesertim in hac tragoedia frequentissimum corrumpi potuisse et eius loco multo minus notum vocabulum (*λόχος*) irrepsisse.

Ergo neutra emendatio probanda est, immo mihi hoc vocabulum certum interpolationis indicium esse videtur. — Pauca addere liceat, quamvis minoris momenti sint. Parum aptum enim est quod in initio huius versus legitur *μητρός τε*, quod non male Kirchhoffius in *μητρός γε* mutavit. Hanc coniecturam, quam recepit Schoenius, ego quoque probarem, nisi hunc versum spurium esse crederem. — Denique mirum est, Pentheum, qui Bacchas observaturus est, per prolepsin quandam iam hoc loco Baccharum *κατάσκοπον* vocari. Sane idem v. 956 et 981 *Μαινάδων κατάσκοπος* appellatur; sed his locis de Pentheo iam in Cithaeronem ad observandas Bacchas egresso sermo est. — Restat ut hoc moneam, si v. 916 deleatur, quinque versus Bacchi totidem Penthei versibus respondere.

24. V. 922.

ἀλλ' ἦ ποτ' ἦσθα θήρ; τέταυρωσαι γὰρ οὖν.

Miri quiddam habent Penthei verba: *ἀλλ' ἦ ποτ' ἦσθα θήρ;* Non enim Bacchum interrogare debet, num bellua fuerit, sed num bellua sit. Quapropter in verbis *ἦσθα θήρ* vitium latere et una litera mutata sic scribendum esse videtur:

ἀλλ' ἦ ποτ' ἦσθ' ἀνήρ; τεταύρωσαι γὰρ οὖν.

Pentheus miratur, quod Bacchus antea homo fuerit, nunc vero taurus esse videatur.

25. V. 927—29.

αὐτὰς ἐκείνας εἰσορᾶν δοκῶ σ' ὁρῶν.
ἀλλ' ἐξ ἕδρας σοι πλόκαμος ἐξέστηχ' ὅδε,
οὐχ ὡς ἐγώ νιν ὑπὸ μίτρᾳ καθήρμοσα.

V. 929 ab interpolatore additum puto. Ineptae enim sunt particulae *οὐχ ὡς;* et Bacchus nisi absurde loqui volebat, sic potius dicere debebat: *ὃν ἐγὼ ὑπὸ μίτρᾳ καθήρμοσα* vel similiter. Subditicium esse v. 929 arguit etiam lex distichomythiae.

26. V. 1024—27.

ὦ δῶμ' ὃ πρίν ποτ' εὐτύχεις ἀν' Ἑλλάδα
Σιδωνίου γέροντος, ὃς τὸ γηγενὲς
δράκοντος ἔσπειρ' ὄφεος ἐν γαίᾳ θέρος,
ὥς σε στενάζω, δοῦλος ὢν μέν, ἀλλ' ὅμως.[1])

Molestam tautologiam in v. 1026 (*δράκοντος-ὄφεος*) interpretes variis coniecturis tollere conati sunt. Mihi nihil corrigendum esse videtur, nam v. 1025 et 1026 non Euripidis esse suspicor. Nam praeter ineptam verborum cumulationem (*δράκοντος-ὄφεος, γηγενὲς-ἐν γαίᾳ*) primum hoc notandum, inepte segetem, quam Cadmus terrae tradit, *γηγενής* vocari. At forsitan dicat quispiam: Nonne idem, quod h. l. reprehendis, etiam v. 264 invenitur: „*οὐκ αἰδεῖ θεοὺς Κάδμον τε τὸν σπείραντα γηγενῆ στάχυν.*“? Nego equidem v. 264 cum nostro loco posse comparari. Nam in illo quidem versu proleptice dicitur, Cadmum sparsisse terrigenum illud Thebanorum genus; at nostro loco talis prolepsis absurda est; absurde enim dicitur *ἔσπειρ' ἐν γαίᾳ γηγενὲς θέρος.* —

Denique inepta sunt verba *ὃς ἔσπειρε ἐν γαίᾳ θέρος*, quia *θέρος* non „seges“ sed „messis“ est, messis autem non apte dici potest in terra seminari. Apte vocabulum *θέρος* usurpatum est v. 1315: *ὁ Κάδμος ὁ μέγας, ὃς τὸ Θηβαίων γένος ἔσπειρα κἀξήμησα κάλλιστον θέρος.*

27. V. 1059—60.

— ὦ ξέν', οὗ μὲν ἕσταμεν
οὐκ ἐξικνοῦμαι Μαινάδων ὄσσοι μόθων.

---

[1]) Versum qui in codicibus sequitur: χρηστοῖσι δούλοις συμφορὰ τὰ δεσποτῶν ab interpolatore ex Med. 54 adscriptum esse iam suspicatus est Dobraeus ad Aristophanis Plutum v. 886, et iure plerique editores hunc versum eiecerunt, quia hic versus illo Medeae loco aptus, nostro loco ineptus est.

Vulgo ὅσοι μόθων, quod in veteribus codicibus scriptum esse ait Stephanus. Pal. et Ald. ὅσοι νόθων. — Multi multa coniecerunt: Musgravius ὅποι μόθων, quod recepit G. Dindorfius; Porsonus ὅσσοιν ἀθρῶν; Elmsleius ὅσον ποθῶ; Hermannus ὅσσοις ὕσον, quod recepit Fixius; Hartungius ὅσσοις ὁδόν. His longe praestat Heathii coniectura ὅσσοις μόθον, quam receperunt Schoenius, Nauckius, Witzschelius. At μόθος non esse nomen tragoediae conveniens iam adnotaverunt Hermannus et Matthiaeus. — Forsitan scribendum sit ὅσσοις ὄχλον, cf. v. 117:

ἔνθα μένει θηλυγενὴς ὄχλος.

V. 1058:

Πενθεὺς δ' ὁ τλήμων θῆλυν οὐχ ὁρῶν ὄχλον —

V. 1130:

Αὐτονόη τ' ὄχλος τε πᾶς ἐπεῖχε Βακχῶν.

28. V. 1106—1109.

φέρε, περιστᾶσαι κύκλῳ
πτόρθου λάβεσθε, Μαινάδες, τὸν ἀμβάτην
θῆρ' ὡς ἕλωμεν, μηδ' ἀπαγγείλῃ θεοῦ
χοροὺς κρυφαίους.

Primo obtutu haec Agavae verba non mira tantum, sed absurda videntur. Non cum homine, sed cum fera sibi rem esse opinatur et tamen timet, ne dei mysteria prodat? Respondendum est, θήρ h. l. idem esse, quod θήραμα; apte autem comparari posse nostro „Wild.“ — Similiter hoc vocabulum usurpatum est v. 436, ubi Penthei famulus de Baccho captivo praedicat:

ὁ θὴρ δ' ὅδ' ἡμῖν πρᾶος οὐδ' ὑπέσπασεν
φυγῇ πόδ', ἀλλ' ἔδωκεν οὐκ ἄκων χέρας. —

Agave ex claris dei verbis (1079—81) dei inimicum se persequi noverat, sed qualis is sit, utrum homo an fera, iam ignorare videtur. Haec sensuum perturbatio mox ad summum gradum procedit. Tum enim, quum Pentheum dilaceravit, leonem se occidisse putat, caput eius thyrso infigit ὡς ὀρεστέρου λέοντος (v. 1141), i. e. κρᾶτα ὀρεστέρου λέοντος εἶναι νομίζουσα.

29. V. 1163—64.

καλὸς ὁ ἀγὼν ἐν αἵματι στάζουσαν
χέρα περιβαλεῖν τέκνου.

Ad sensum horum versuum explicandum nihil adnotatum video ab interpretibus, nisi quod Schoenius „ἐν αἵματι στάζουσαν“ προληπτικῶς dictum esse ait. Ex hac adnotatione sequitur, Schoenium sensum huius loci sic fere intellexisse: Pulcrum certamen, manum iniicere filio eamque ita filii sanguine maculare. Similiter Fixius vertit: „Pulcrum est certamen sanguine stillantem manum iniicere filio“, et Hartungius: „Die bluttriefend' Hand an sein Kind zu legen ist ein grossart'ger Kampf!“ Ergo manifestum est Schoenium, Fixium, Hartungium de Penthei caede ab Agave in Cithaerone perpetrata cogitavisse. Mihi haec sententia prorsus a vero abhorrere videtur. περιβάλλειν χέρα enim nunquam sensu hostili usurpatur. Euripides si hoc exprimere voluisset: „manum iniicere filio“, certe χέρα ἐπιφέρειν vel χέρα ἐφιέναι τέκνῳ scripsisset. Contra περιβάλλειν χέρα non nisi de amice amplectendo intelligi potest.

Verum sensum horum versum facile perspiciemus, si modo nexum sententiarum spectaverimus. Antea enim fatidico ore chorus dixit:

Βάκχαι Καδμεῖαι,
τὸν καλλίνικον κλεινὸν ἐξεπράξατε
εἰς γόον, εἰς δάκρυα.

Iam ad solam Agaven conversus in eadem sententia pergens dicit:

καλὸς ἀγὼν ἐν αἵματι στάζουσαν
χέρα περιβαλεῖν τέκνου.

Scimus enim ex aliorum scriptorum testimoniis[1]), in lacuna, quae post V. 1329 est, Agaven summi maeroris plenam facinus

[1]) Rhet. Graec. ed. Walz. T. IX, p. 590:
„ἐπιὼν τὰ τραύματα, τὸν τρόπον τῆς διαιρέσεως. τοῦτον τὸν τρόπον κεκίνηκεν Εὐριπίδης οἶκτον ἐπὶ τῷ Πενθεῖ — — — ἕκαστον γὰρ αὐτοῦ τῶν μελῶν ἡ μήτηρ ἐν

suum deflere et disjecta filii membra arripere manibus, amplecti et osculari. Haec igitur chorus nostro loco praesagit cum acerba ironia exclamans: „Pulcrum certamen, quod eum finem habet, ut mater cruentis manibus filii membra amplectatur.“ Ergo *καλὸς ἀγών*, pulcrum certamen, metonymice dictum est pro „pulcri certaminis fructus et finis“. —

Pro *τέκνον* Schoenius *τέκνον* scripsit, Genitivum *τέκνου* abhorrere dicens ab usitata constructione verbi *περιβάλλειν*. Mihi haec emendatio non probanda esse videtur. Nam primum usitata huius verbi constructio non est *περιβάλλειν τινά τι*, sed *περιβάλλειν τινί τι*. Quare si vulgata corrigenda esset, non *τέκνον* sed *τέκνῳ* scribendum foret. At nihil mutandum est. *τέκνου* est Genitivus partitivus; poeta enim non *τέκνῳ* sed *τέκνου* dicit, quia Agave non filium suum amplecti potest, sed disiecta membra filii. Haec autem constructio nihil miri habet, quoniam usum Genitivi partitivi apud Graecos latissime patere scimus.

30. V. 1244—45.

ὦ πένθος οὐ μετρητὸν οὐδ᾽ οἷόν τ᾽ ἰδεῖν
φόνον ταλαίναις χερσὶν ἐξειργασμένων.

V. 1245 dubito num ab Euripide scriptus sit;[1]) toti enim huic loco parum congruit.

Nam si Cadmus cum Agave colloquens expressis verbis dicit: „Caedem infelicibus manibus perpetravistis“, tum etiam furiosa Agave, quid rei esset, scire debebat, tum certe exspectandum erat, ut tam gravem accusationem non plane silentio praeteriret. At in responso suo (V. 1251 sqq.) fatalem illam accusationem ne uno quidem verbo commemorat.

ταῖς χερσὶ κρατοῦσα καθ᾽ἕκαστον αὐτῶν οἰκτίζεται.“ cf. ibid. p. 587, Nonn. XLIV, 283—319.

[1]) Sane iam auctor Christi patientis hunc versum h. l. legisse videtur (Chr. pat. 1046.).

Aliud momentum accedit. Chorus enim Agavae semper veritatem occultavit, atque etiam Cadmum, si quidem cetera eius verba spectamus, semper id agere videmus, ut atrox illud facinus non prius patefaciat, quam Agave ipsa, ad sanam mentem revocata, ultro illud cognoscat. Ergo ineptum esset, si V. 1245 Cadmus subito a proposito suo descisceret veritatis atrocitatem claris verbis patefaciens.

31. V. 1285.

οἰμωγμένον γε πρόσθεν ἢ σὲ γνωρίσαι.

Verbum *οἰμωγμένον* bene Matthiaeus sic explicat: „Caput Penthei vel potius ipse Pentheus ante defletus erat a Cadmo, quam Agave eum agnosceret; quod ad infelicitatem matris significandam valet, ad quam ne sensus quidem infortunii pertineret, quodque non agnosceret, quem alii non agnoverant solum, sed etiam defleverant“.

Miror, quod Hartungius et Nauckius Musgravii coniecturam *ᾑμαγμένον* receperunt. Tum enim sensus est:

„Entstellt von Blut noch eh' du wusstest wer er war“. (Hartung).

At si Cadmus diceret, Penthei caput prius sanguine suffusum fuisse, quam Agave filium suum agnosceret, diceret aliquid, quod et omnes bene sciebant et quod per se patebat.

32. V. 1310—12.

— τὸν γέροντα δὲ
οὐδεὶς ὑβρίζειν ἤθελ᾽ εἰσορῶν τὸ σον
κάρα. δίκην γὰρ ἀξίαν ἐλάμβανεν.

δίκην λαμβάνειν h. l. pro *δίκην δοῦναι* dictum esse iam Elmsleius notaverat. Plerumque enim *δίκην λαμβάνειν* est „zur Strafe ziehen“, *δίκην διδόναι* „Strafe leiden“. Quapropter Hartungius coniecit aut *δίκην γὰρ ἀξίαν ἔδωκεν ἄν* aut *δίκης γὰρ ἀξίας ἐτύγχαν᾽ ἄν* scribendum esse. At utraque coniectura non probabilis est, quia nimis a librorum scriptura recedit. Immo si hic locus emendatione indigeret, equidem una litera mutata sic scribendum

esse coniicerem: *δίκην γὰρ ἀξίαν ἐλάμβανες* i. e. iustam poenam ab eo repetebas; Pentheum enim Cadmus alloquitur. At nulla coniectura opus esse videtur, nam si etiam Herod. I, 115 „*ἐς ὃ ἔλαβε τὴν δίκην*“ pro „*ἐς ὃ ἔδωκε τὴν δίκην*“ dicit, quidni tragico idem licuisse putemus?

Porro Heathius pro *ἐλάμβανεν* scripsit *ἐλάμβαν' ἄν*, atque etiam Hartungius h. l. particulam *ἄν* desiderari ait. At iam Elmsleius viderat *ἐλάμβανε* pro *ἤμελλε λήψεσθαι* dictum esse.[1]). Ergo *ἄν* neque addendum neque sensu subintelligendum est.

Similis locus est V. 612: — *τίς μοι φύλαξ ἦν, εἰ σὺ συμφορᾶς τύχοις;* i. e. *τίς μοι φύλαξ ἔσεσθαι ἤμελλεν, εἰ σὺ συμφορᾶς τύχοις;* nam h. l. *ἦν* non pro *ἂν ἦν* dictum esse iam ex optativo *τύχοις* satis apparet.

33. V. 1341—43.

— εἰ δὲ σωφρονεῖν
ἔγνωθ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε, τὸν Διὸς γόνον
εὐδαιμονεῖτ' ἂν σύμμαχον κεκτημένοι.

Pro *ὅτ' οὐκ ἠθέλετε* Nauckius coniecit *ὃν οὐκ ἠθέλετε* (sc. *σύμμαχον κεκτῆσθαι*), Schoenius *ὅ γ' οὐκ ἠθέλετε* scripsit.

At nihil mutandum videtur. Nam V. 1345 Bacchus dicit: *ὄψ' ἐμάθεθ' ἡμᾶς, ὅτε δ' ἐχρῆν οὐκ ᾔδετε*, i. e. sero nos agnovistis, tum autem, quum oportebat, nos ignorabatis.“

Eadem sententia V. 1341 sqq. sic expressa est: „Si sapere voluissetis tum quum nolebatis, Jovis filio socio uteremini“. *γιγνώσκειν* (animum inducere, decernere) et *ἐθέλειν* h. l. synonyma sunt.

[1]) Falso Matthiaeus explicat: „ὅστις γὰρ ὑβρίζειν ἐθέλοι, δίκην ἀξίαν ἐλάμβανεν, quasi re vera fuissent, qui Cadmum contumeliose tractare vellent.“ Obstant enim huic explicationi verba οὐδεὶς ὑβρίζειν ἤθελε (V.1311); nam si antea dixit poeta: „nemo fuit, qui Cadmum contumeliose tractare vellet“, non statim sequenti versu sic loqui potest, quasi re vera fuissent, qui illum contumeliose tractare vellent.

34. V. 1371.

στεῖχέ νυν, ὦ παῖ, τὸν Ἀρισταίου.

Hartungius ad h. l. adnotat: „Man hat nicht gewusst, was mit dem Namen Aristäos anzufangen sei, und an mehrere Personen dieses Namens gedacht, während der Vater des Actäon, den Euripides selbst und den nach ihm Appollodor mehrmals genannt hat, niemanden eingefallen ist. Wir haben in der Uebersetzung die Lücke so ausgefüllt, wie sie natürlich und nothwendig ausgefüllt werden musste.[1]) Es ist ein Vers ausgefallen,[2]) wie das Maas der Kehren selbst zu erkennen giebt. Uebrigens liegt eine gewisse euphemistische Schonung darin, dass Kadmos dort vom Tode des Aktäon, nicht von dem des Pentheus spricht.“

Ab hac diversa est Schoenii explicatio: „Soviel lässt sich ersehen, dass Kadmus der Agave den Rath giebt, sich zum Aristäos zu begeben, welcher der Gemahl der Autonoe und Vater des Aktäon war und dem der Mythos Wanderungen und wechselnde Aufenthaltsorte (Thessalien, mehrere Inseln, Thracien) beilegte.“

Etiam mihi non dubium videtur, quin h. l. de Actaeonis patre sermo sit, cujus nomen etiam V. 1227 in transcursu a Cadmo commemoratur. Quaeritur autem cur h. l. Aristaei mentio fiat et quidnam Cadmus filiae suae suadeat.

Schoenii sententiam non probandam esse puto. Nam quum antea filiae, quonam fugere possit, interroganti Cadmus V. 1367 se nescire respondeat, ipse sibi non constaret, si paulo post (V.1371) Agavae suaderet, ut ad Aristaeum fugeret. Quapropter etiam in hoc fallitur Schoenius, si in introductione p. 22. suspicatur, jam Bacchum ipsum in amissa orationis parte Agavae

[1]) „Zieh' hin mein Kind, doch umgehe den Ort,
Der Aristäens (?) Sohne den Tod gab“.

[2]) Mihi verisimilius videtur, complures versus excidisse. Nam qui in libris sequuntur VV. 1372—92, hos omnes ejiciendos esse recte judicavit Nauckius. Atqui si VV. 1372—92 spurii sunt, totum finem hujus tragoediae post V. 1371 excidisse consentaneum est.

suasisse, ut ad Aristaeum confugeret. Contra praeclara est illa Hartungii explicatio, qui Cadmum h. l. filiae suadere suspicatur, ut illum locum fugiat, ubi olim Aristaei filius mortuus sit. Nam hunc locum Cithaeronem esse scimus; Cadmum autem sacra quaedam verecundia retinere videtur, ne hunc locum foedissima Penthei nece maculatum nominet. Similiter antea, quum Agave ex eo quaesivisset, quonam loco Pentheus interiisset, non expressis verbis respondet, in Cithaerone eum mortuum esse, sed:

„οὗπερ πρὶν Ἀκταίωνα διέλαχον κύνες“.

Ergo praeclare in hoc Cadmi indoles cernitur, si jamjam a filia carissima discessurus his verbis ei valedicit: „Discede, o filia, sed fuge locum illum, ubi olim Aristaei filius mortuus est.“[1])

35. VV. 1372—92.

Ἀ*Γ*. στέρομαί σε, πάτερ. *ΚΑ*. κἀγὼ σέ, τέκνον,
καὶ σὰς ἐδάκρυσα κασιγνήτας.
ΑΓ. δεινῶς γὰρ τάνδ' αἰκίαν κ. τ. λ.

VV. 1372—92 uncis inclusit Nauckius. Kirchhoffius tamen et Schoenius hos versus tacite retinuerunt.[2]) Equidem Nauckio prorsus adsentior, quia haec ultima tragoediae pars Euripide indignissima est.

Primum quae VV. 1372—80 leguntur, non solum valde languida et inconcinna, sed etiam supervacanea sunt, quippe quum paene meram repetitionem contineant. cf. VV. 1302 sqq. 1344 sqq. 1352 sqq.

Alia momenta accedunt. Nam hi versus permultis et dictionis et sententiae vitiis laborant, quae saltem non omnia librariorum culpae tribuere velim.

---

[1]) Cum hac explicatione etiam congruunt Agavae verba (VV. 1383—85):
ἔλθοιμι δ' ὅπου
μήτε Κιθαιρὼν μιαρός [μ' ἐσίδοι]
μήτε Κιθαιρῶν' ὄσσοισιν ἐγώ.
Sed hi versus non Euripidis esse videntur.

[2]) Nauckio adsentiri videntur Rossbach. et Westphal. Gr. Metr. III, 97; vide Nauck. Eur. Studien I. p. 132, not. 2.

V. 1374 Ald. δεινῶς γὰρ δεινῶς τάνδ' αἰκίαν, Pal. δεινῶς γὰρ τάνδ' αἰκίαν. Neutra scriptura metro convenit.

V. 1376 sic traditus est: τοὺς σοὺς εἰς οἴκους ἔφερε. Editores metri sarciendi causa non modo ἔφερε in ἔφερεν mutarunt, sed etiam lacunam, quam inter verba εἰς et οἴκους vel inter σούς et εἰς statuendam esse putabant, variis rationibus explere conati sunt.

VV. 1377—78 in codd. Baccho tribuuntur. At iure adnotat Hermannus: „Permirum non vidisse criticos, nihil fingi ab Euripide frigidius potuisse atque ineptius, quam Bachum ista hic dicentem, quae per omnem fabulam factis satis declaraverat. Baccho hoc plane indecorum foret. Is defunctus erat partibus suis illa oratione, qua futura praedixerat, qua finita reliquerat scenam“. At idem nimis audacter, mutato ἔπασχον in ἔπασχεν, V. 1377—78 Cadmo tribuit; multo enim verisimilius est, etiam hoc vitium ipsi horum versuum fabro esse tribuendum.

V. 1378 et Ald. et Pal. vitiosam formam ἀγέρατον exhibent.

V. 1380 legitur χαλεπῶς εἰς τόδ' ἂν ἥκοις. Sententia desiderat particulam adversativam. (Jam Reiskius χαλεπῶς δ' coniecit).

V. 1382 Ald. λήψωμ', Pal λψώμεθ'. Neutra scriptura metro congruit.

Horum vitiorum certe magnam partem ipsi horum versuum scriptori deberi suspicor. Alia sane librariorum negligentiae tribuenda esse videntur, ut lacunae in V. 1372 (ubi Barnes. σέ supplevit) et in V. 1384; item V. 1372 pro στέρομαι haud dubie cum Burgesio στένομαι legendum est.

Ad ea, quae dixi, pauca addere liceat. V. 1381 sq. Agave se eo abduci iubet, ubi sorores versentur, ut cum his in exilium abeat. At nusquam in hac tragoedia de Inonis et Autonoes exilio sermo est.

V. 1384, in quo unus Anapaestus excidit, Musgravius verba μ' ἐσίδοι addenda, Schoenius verba ἔμ' ὁρᾷ intercalanda esse conjecit. Sed utique VV. 1384—85 subabsurdum sensum praebent:

„Utinam eo perveniam, ubi neque Cithaeron me adspiciat neque ego Cithaeronem oculis adspiciam."

V. 1386 Pal. *μήϑ' ὅϑι ϑύρσου μνῆμ' ἀνάκειται*, Ald. *μήϑ' ὅϑι ϑύρσος μνῆμ' ἀνακεῖται*. Neutra scriptura tolerabilem praebet sententiam.

Etiam pentastichon, quod in fine fabulae legitur (V. 1388—92), et quo — praeter Bacchas — quattuor tragoedias finivit Euripides, ab interpolatore additum videtur.

Spero, me planum fecisse, Baccharum finem, quem hodie habemus, VV. 1372—92, non Euripidis esse. Genuinus tragoediae finis amissus esse videtur; nam V. 1371 fabulam non finiri potuisse apparet.

II.

Observationes variae.

1. Cum crisi huius tragoediae arctissime cohaeret ea sententia, quae a clarissimo viro Aug. Boeckhio in libro de Gr. trag. principibus p. 297—327 de hac fabula prolata est. Quum enim Bacchae una cum Alcmaeone et Iphigenia Aulidensi a minore Euripide editae sint maiore mortuo [1]), ambae autem illae non novae fuisse videantur, sed repetitae [2]), consentaneum visum est Boeckhio, Bacchas quoque non tum primum prodiisse, et emendatas ab eodem esse, a quo Iphigenia Aul. [3]), ab editore propinquo Euripidis cognomini. „Ac si duplex exstiterit recensio," inquit, „eadem supererit, quae quum una cum interpolata Iph. repeteretur, coronata est; primum quod ex duabus tragoediis, quarum

[1]) Hoc testantur veteres didascaliae apud schol. Ar. Ran. 67. Cf. Boeckh. p. 225; Elmsl. ed. Bacch. p. 4. b. — Euripides minor utrum Mnesarchidae filius an ex fratre filius fuerit, parum constat; cf. Boeckh. p. 226—27.

[2]) Alcmaeon iam citatur Ar. equit. 1299; equites autem acti sunt Ol. 88,4 i. e. undeviginti annis **ante** Euripidis mortem; ergo Alcmaeon quum edebatur **post** Euripidis mortem, repetito editus est. Cf. Boeckh. p. 222. — Porro Iphigenia Aulidensis docta est ante Tauricam (Boeckh. p. 223), Taurica autem ante Ar. Ranas, unde sequitur etiam Aulidensem **ante** Ranas actam esse. (Cf. Boeckh. l. l.) Ranae autem doctae sunt post mortem Euripidis; tum vero, quum Aristophanes hanc comoediam docebat, nondum Euripidis mortui ulla fabula edita fuit (cf. Ar. Ran. 890, Boeckh. p. 213); ergo Iphigenia Aulidensis ab Eur. minore docta est **post** Ranas, et haec editio, quae post Ranas prodiit, fuit altera.

[3]) De duplici recensione Iphigeniae Aulidensis cf. Boeckh. p. 214 sqq., 233 sqq., 256 sqq., 271—97.

altera editio coniunctim et commissa et praemio donata est, non alterius prior, alterius posterior recensio ita inclarescere potuit, ut prae altera servaretur, deinde quod Euripidearum fabularum, quarum duae editiones fuerunt, posteriores ad nos pervenerunt potissimum, ut Medeae[1]), Hippolyti[2]), Iphigeniae Aulidensis[3]), postremo quod ex duabus recensionibus, si altera vicerit, haec victrix celebrior facta est et aetatem tulit diutius, ut videmus in Aulidensi Iphigenia et coronato Hippolyto." Inde igitur Boeckhius coniecit, etiam Bacchas, ut nunc leguntur, non a maiore Euripide profectas esse, sed a minore interpolatas.[4])

Quam sententiam multis et variis confirmare studuit argumentis, quae iam accuratius examinare liceat.

Et primum quidem Boeckhius locos quosdam affert ab antiquis scriptoribus ex Euripidis Bacchis citatos, qui in hac tragoedia hodie non reperiuntur. Schol. Aristoph. (ad Plut. v. 901) inde habet versum:

Εἰ μὴ γὰρ ἴδιον ἔλαβον εἰς χεῖρας μύσος,

qui in Bacchis superstitibus nusquam legitur. Neque usquam in Bacchis occurrit verbum, quod inde allatum est a grammatico apud Becker. Anecd. p. 105. (Glossar. Sangerm. Bibl. Coisl. p. 482.): *Λελάβημαι, ἀντὶ τοῦ εἴλημμαι.*

At ipse Boeckhius sibi obiicit, fortasse versum a schol. Ar. Plut. citatum ex deperdito loco post v. 1328[5]) depromptum esse. — Porro de verbo *λελάβημαι* vide Elmsl. ad v. 1100, qui dubitat num unquam in Bacchis exstiterit *λελάβημαι*, et grammaticum apud Beckerum l. l. confudisse putat *λελάβημαι* cum *λέλημμαι*.

[1]) Boeckh. p. 164--174.
[2]) cf. Eur. Hippol. ed. Valckenar. (Boeckh. p. 272 sqq.)
[3]) vide p. 37, not. 3.
[4]) Boeckhii sententiae obstiterunt Blomfield. Mus. crit. Cantabr. II, 657, (a. 1826) et Reuscher: De Euripidis Bacchis. Perleberg. 1856. Neutram harum commentationum inspicere potui.
[5]) V. 1329 ed. Nauck. —

Nam v. 1100[1]) Elmsl. ex Musgravii coniectura reposuit *λελημμένος* pro librorum scriptura *λελησμένος*, quae manifesto corrupta est.[2])

Multo plus valet aliud argumentum a Boeckhio allatum. Suidas s. v. *Ἀρίστιππος*: „*Καὶ πρὸς Διονύσιον,*" inquit, „*τῆς Σικελίας τύραννον ἐλθὼν καὶ πίνων ἐνίκα καὶ ὀρχήσεως τῆς ἄλλης κατῆρξεν ἐνδὺς ἐσθῆτα ἁλουργῆ· Πλάτων δὲ προςκωμιζομένης αὐτῷ τῆς στολῆς εἶπεν Εὐριπίδου ἰαμβικά*

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν,
Ἄῤῥην πεφυκὼς καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.

Ἀρίστιππος δὲ δεξάμενος καὶ γελάσας εἶπε τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ·

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
Ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται."

Prior versuum a Platone pronuntiatorum est Bacch. v. 835 (836); alter deest. Aristippi responsum paulo aliter legitur Bacch. v. 317:

Καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
οὖσ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

Hos versus suspicatur Boeckhius sic, ut sunt apud Suidam, olim in Bacchis lectos esse; postea vero mutatos esse in altera recensione. Sane Stobaeus (Serm. V p. 140 sq. ed. Schow.), Diogenes Laert. (II, 78), Athenaeus (XII, p. 549. E.) vulgatam lectionem praebent; at recte iudicavit Boeckhius, in hac quidem re, ubi non de iudicio, sed de servanda lectione tradita agitur, Suidam, ut stupidum et indoctum hominem, maiorem fidem habere, quam doctos illos antiquiores grammaticos. Et Suidae maior etiam accedit fides ex testimonio Sexti Empir. Pyrrhon. Hypot. III, 24, qui Platonem dicentem facit:

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν
Ἄῤῥην πεφυκώς.

De ceteris, quae a Boeckhio afferuntur, argumentis: variis lectionibus, imitationibus, alienis versibus, commissuris, inconstan-

[1]) V. 1102 ed. Nauck. —
[2]) De verbo γαυριᾶν, quod e Bacchis affert grammaticus apud Becker. Anecdot. p. 87., vide Elmsl. ad v. 1142.

tiis, pauca habeo quae dicam. Nonnulla enim, quae Boeckhius affert, mihi omnino non verisimilia esse videntur; exempli gratia non dubito, quin v. 102 *θυρσοφόροι* pro *θηροτρόφοι*, v. 708 (709) *λικμῶσαι* pro *διαμῶσαι* ex errore librarii potius, quam ex priore recensione profecta sint. — Porro v. 13 hodie sic legitur:

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας.

Haec auctor Christi patientis v. 1593 sic expressit:

Ὃς τὰς Λυδῶν πανευκλεεῖς πόλεις λιπών.

Inde Boeckhius coniicit in priore Baccharum editione sic scriptum fuisse:

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πανευκλεεῖς πόλεις.

At tantummodo ab infimae aetatis scriptore dici potuisse *πανευκλεής* adnotavit Baccharum Elmsleji editor Lipsiensis, p. 175.

Ineptam Bacchi defensionem v. 286—297 iure Boeckhius Mnesarchida indignam esse censet, sed dubito num recte hos versus Euripidi minori tribuerit; certe dictio confusa atque adeo vitiosa [1]) scriptore infimae aetatis dignior esse videtur, quam Euripide minore, poeta tragico [2]) et Homericorum carminum editore.[3]) Et scimus, Iphigeniam Aul., Alcmaeonem, Bacchas ab Euripide minore editas praemio donatas esse; sed num putamus illum victurum fuisse, si maioris Euripidis tragoedias non solum correxisset, sed ineptissimis additamentis depravasset?

Manifestum duplicis recensionis vestigium Boeckhio videtur esse repugnantia, quam interesse dicit inter ea, quae ante lacunam (v. 1330 ed. Nauck.) et ea, quae post lacunam leguntur; nam quum ante v. 1330 Cadmus divini sui nepotis pius sit venerator, post v. 1330 Cadmum et a deo accusari et ipsum culpam suam fateri. Hoc comprobare studet vv. 1340—47 (*ταῦτ' οὐχὶ θνητοῦ πατρὸς κ. τ. λ.*). Et sane si vv. 1344, 1346, 1348 Cadmi sunt, non dubium est, quin et Cadmus a deo accusetur et ipse se son-

[1]) Plura de hoc loco p. 5. sqq. a me exposita sunt.
[2]) cf. Boeckh. p. 225 sqq.
[3]) cf. Boeckh. p. 236 sqq.

tem esse fateatur. At falso in codicibus hi versus Cadmo adscripti sunt; non enim Cadmi, sed Agavae esse videntur. Nam quum v. 1350 certe Agavae tribuendus sit atque etiam in codicibus Agavae adscribatur, consentaneum est, etiam vv. 1344, 1346, 1348 Agavae, non Cadmo, tribuendos esse, quia vv. 1344, 1346, 1348, 1350 eiusdem personae esse verisimillimum est.[1]) — Si quidem igitur vv. 1344, 1346, 1348 non Cadmi, sed Agavae sunt, repugnantia illa mihi evanescere videtur; tum enim illud dei vituperium „*εἰ δὲ σωφρονεῖν ἔγνωθ', ὅτ' οὐκ ἠθέλετε*“ in Agaven potissimum cadit; Agave enim ipsa respondet „*Διόνυσε, λισσόμεσθά σ', ἠδικήκαμεν.*“

Cetera quae Boeckhius affert correctionis indicia omnia fere sunt eiusmodi, ut pro certis quidem argumentis haberi non possint, specie tamen quadam veritatis non careant.

Duabus tamen causis prohibeor, quominus Boeckhii sententiae adsentiri possim.

Primum enim poeta bis in hac fabula Macedoniam summis laudibus extollit; qua causa hoc fecerit, facile intelligitur; Bacchae enim in Macedonia, ubi diem supremum obiit, scriptae esse videntur. In priore loco (v. 409—415) chorus Pieriam (Macedoniam) ut Musarum sedem et domicilium Gratiarum et Cupidinis celebrat; in altero loco (v. 565—75) Pieriam beatam praedicat propter instantem adventum Bacchi; mox enim deum in Pieriam venturum ibique sacra sua instituturum esse pollicetur; tum Lydiam, parvum Macedoniae fluviolum, laudibus effert, quod Macedonum arva undis limpidis fecundet. Num, quaeso, putamus, Euripidem minorem, si re vera hanc fabulam denuo recensuisset, hos locos non correcturum fuisse? Num versimile est, illum, qui pristinam Iphigeniae Aulidensis formam tam violenter mutaret et quem Boeckhius etiam in ipsis Bacchis tam multa correxisse et quasdam huius fabulae partes [2]) prorsus commutasse putat, num veri-

[1]) Recentiores editores, praeeunte Elmsleio, jure hos versus Agavae tribuerunt.
[2]) cf. imprimis Boeckh. p. 321 sqq.

simile est, inquam, tam severum criticum in sua recensione duos illos locos incorrectos relicturum fuisse, qui tantummodo ad Macedonum benevolentiam captandam scripti et in Atheniensium scena certe non apti essent?

Aliud accedit. Nam si Bacchae bis editae sunt, prima editio prodiit vivo Euripide, ergo ante Aristophanis Ranas. Atqui ipse Boeckhius p. 306 Aristophanem dicit in Ranas nihil omnino ex Bacchis transtulisse, cuius quidem adhuc vestigium superesset. At hoc eo magis est mirandum, quo largiorem irridendi materiam haec potissimum tragoedia poetae comico praebere poterat, et quod certum videtur, Euripidem sub extremum vitae tempus Bacchas scripsisse [1]), unde efficitur, primam Baccharum editionem haud ita multo ante Ranas prodire potuisse. Quocirca mihi non dubitandum esse videtur, quin Aristophanes in Ranis Bacchas irrisurus fuerit, si iam tum illam tragoediam nosset. Sane si quis nihilominus duplicem editionem defendere velit, non inepte mihi objicere possit, priorem Baccharum editionem fortasse in Macedonia prodiisse et ob eam causam Aristophanem tum, quum Ranas doceret, Bacchas nondum videre potuisse.

2. Iam Winckelmannus (Act. Societ. Graec. 1840. II., 1, p. 7 sqq.) miratus est, si Aristophanes hanc Euripidis tragoediam, quae cavillaturis tam largam irridendi praeberet materiam, in Ranis haud multo post Bacchas doctis [2]) vellicare noluisset. Ipse igitur censet, Aristophanem multo saepius, quam vulgo creditum sit, Euripidis Baccharum rationem habuisse. Et primum quidem Bacchas irrideri putat Ran. 316 sqq:

> *τοῦτ' ἔστ' ἐκεῖνο, δέσποθ', οἱ μεμυημένοι*
> *ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν.*
> *ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον ὅνπερ Διαγόρας.*

[1]) cf. p. 48, not. 3.

[2]) Winckelmannus cum Boeckhio duplicem Baccharum recensionem fuisse censet.

Iure Winckelmannus dicit, non credibile esse, Diagoram Melium, qui deos esse negavit et propter contempta mysteria ab Atheniensibus urbe expulsus est, tale carmen composuisse, aut si composuit, id sacrum initiatorum coetum apud inferos decantasse. Hoc iam Aristarchus intellexerat, qui teste scholiasta ironice illa verba accipienda esse iudicavit. Quae sententia comprobata est a Bothio. Alii recentiores poetam Diagoram diversum esse volunt ab impio philosopho. „Sed his admotis machinis et interpretandi artificiis,“ inquit Winckelmannus, „non erit opus, si carmina quaedam sacri enthusiasmi plena nuper in theatro audita tangi tenueris. Mihi enim haec videtur loci sententia esse: „canunt initiati *Ἴακχον*, quem nuper cecinit Euripides, qui alter est Diagoras.“ Diagorae enim nomine inde ab Aristophane usque ad patres ecclesiasticos quivis *ἄθεος* vocatus est.“ — Iam, ut dubitantibus de veritate suae explicationis omnem scrupulum evellat, ostendere conatur, Euripidem qui in prioribus tragoediis deos populares irriserat, in Bacchis a se ipso descivisse; in hac enim fabula illum non solum mysteriorum sanctimoniam splendide concelebrare, sed etiam pietatem adversus deos et caecam fidem nervose commendare [1]), carminibus in honorem Bacchi pulcherrimis intextis. Hanc igitur „sive sinceram sive simulatam et ementitam pietatem“ Aristophani ita bilem movisse suspicatur, ut ne defuncto quidem Euripidi parceret, sed aculeatis verbis insultaret. „Hoc igitur,“ inquit, „mihi probasse videor, verbis quae supra posui perstringi acerbe hominis impietatem, qui alios fallendi causa sanctitatis speciem prae se fert.“

Mihi virum doctissimum nequaquam persuasisse fateor. Nam verbis illis *ὅνπερ Διαγόρας* (sc. *ᾖσεν*) certe nemo alius quam ipse Diagoras significari poterat, sive philosophus ille impius, sive poeta quidam cognominis, nobis ignotus. Sane concedo, Athenis quemvis atheum „alterum Diagoram“ vocatum esse; at hoc non

[1]) cf. p. 49.

pertinet ad eum locum, de quo nunc agimus. Uno exemplo rem illustrem. Ar. Nub. 830 legimus „*Σωκράτης ὁ Μήλιος*“ i. e. Socrates, qui alter est Diagoras. Ergo si Ran. 318 Aristophanes Euripidem perstringere voluisset, certe dixisset: „*ὅνπερ Εὐριπίδης ὁ Μήλιος*“ aut similiter, et tum nihil obscurum esset; at quum dixerit „*ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον, ὅνπερ Διαγόρας*“, nemo Atheniensium, opinor, de Euripide cogitare poterat.

Etiam alterum est, in quo Winckelm. Euripidis Bacchas ab Aristophane irrideri suspicatur. „Saepenumero enim,“ inquit, „quaesitum est, cur Aristophanes in Ranis Dionysum deum in mysteriis sanctissimis cultum omnem modum excedente procacitate tantopere irriserit et omnibus flagitiis coopertum in scenam produxerit.“ Ipse igitur censet, „non id agere Aristophanem, ut deum summum, quem vulgus maxima religione venerabatur, irrideret, sed ut ad exemplar dei Euripidei in Bacchis propositi suum faceret.“ Nam in Bacchis,“ inquit, „quam indignas deo partes sustinet Dionysus, qui semper crepans divinam suam maiestatem tamen nihil faciat, quod ea sit dignum, qui indignis modis a Pentheo tractatus, vinctus in stabulum ad pecora abduci se passus tandem ridiculo miraculo e vinculis erumpat, qui quem potuit deus uno ictu ob contempta sacra prosternere, de eo vindictam sumendam relinquat furibundis mulieribus, scilicet ut poetae copia fiat caedis foedissime factae splendide describendae, denique qui caedem, cuius ipse auctor fuit, exsecutas severissime puniat.“ [1]) At, quaeso, nonne eadem fere, quae Winckelmannus in Eur. Bacchis vituperat, etiam in Aeschyli Bacchas et Xantrias cadunt? Nonne, quantum quidem hodie conjicere licet,[2]) etiam in Aeschyli Bacchis deus vinctus a Pentheo in stabulum ad pecora abducitur? nonne simili miraculo, ut apud Euripidem, Bacchus

---

[1]) Cum iniqua hac Baccharum vituperatione comparanda est praeclara dissertatio G. H. Meyeri „De Eur. Bacchabus“ p. 11—60, in qua commentatione virtutes huius tragoediae in clara luce ponuntur.

[2]) cf. Welcker Aesch. Trilog. p. 327—335.

e vinculis erumpit? Nonne in Aeschyli Xantriis perinde, ut in Euripidis Bacchis, Pentheus a Maenadibus dilaceratur, et quidem ita ut, quae apud Euripidem spectatorum oculis subtrahantur, apud Aeschylum in ipsa scena ostendantur? Denique si Winck. propterea Euripidem carpit, quod „Bacchus caedem cujus ipse auctor fuit exsecutas severissime puniat“, reputemus, quaeso, non caedem illam Agavae a deo culpae tribui, sed impietatem, quod Bacchum deum esse negaverat.

Quocirca mihi sententia illa Winckelmanni, qui Aristophanem in Ranis Bacchas Euripidis irrisisse et suum Bacchum ad exemplar dei Euripidei fecisse credit, omnino non verisimilis esse videtur.

3. Kleinius[1]), qui Euripidem acerrime carpit, quod Penthei d i l a c e r a t i ipsum corpus in scena ostenderit, ab eodem crimine Aeschylum liberare conatus est. In Aeschyli Xantriis Pentheus coram spectatoribus a Bassaridibus necatus esse videtur, exhibitis in scena Cithaeronis indiciis[2]). Kleinius igitur conjicit in Xantriis Pentheum a Bassaridibus non dilaceratum, sed taedis combustum esse: „Von allen Tragikern ist Aeschylos auch hierin Meister und Vorbild, dass er nie und nirgend die Grenze des erhaben Schönen überschreitet, dass er den tragischen Schrecken niemals bis zum Grässlichen kunstwidrig und undichterisch überspannt. In einem Fragment aus den Xantrien[3]) richtet Pentheus die Worte an seine Mutter Agave:

„Die mich gebar, du willst verbrennen jetzo mich!“[4])

Das deutet auf eine andere Tödtung als durch Zerreissen; das deutet auf eine Verfolgung des Pentheus mit Bacchischen Fackeln, vielleicht als Vergeltung für den Frevel, dass Pentheus,

---

[1]) Geschichte des Dramas, I. 499.

[2]) cf. Welcker l. l., Meyer l. l. p. 44 sqq.

[3]) Fr. 297 (349 Nauck.).

[4]) Σὺ τοί μ' ἔφυσας, σύ με καταίθειν μοι δοκεῖς.

bei der Verfolgung des Dionysos, auf dessen Flammenbild mit dem Schwerdte losschlug".

At haec viri docti conjectura parum firmis fulta est adminiculis. Nam fragmentum illud Aeschyleum num ex Xantriis sit, omnino non constat, sed inter fabularum incertarum fragmenta referendum est. Ergo ex illo versu nihil certi colligere licet. At Kleinii conjectura certissime refutatur ipso tragoediae illius nomine; nam ex nomine „Xantriarum" intelligitur, Pentheum in fabula illa a Maenadibus dilaceratum esse; *Ξάντριαι*[1]) enim a *ξαίνειν* derivandum est.

4. Silberus[2]) a plurimorum sententia, qui Cadmum in hac tragoedia insontem puniri putant, discedit; dicit enim: „Vehementer miror, a quibusdam Cadmum insontem punitum esse contendi; tantum enim abest, ut hoc verum sit, ut non minora, quam Pentheus, peccaverit". Cadmum poena dignum fuisse putat propter „humiles agendi rationes ac propemodum indignas" V. 333 sqq. ab illo ostentatas.

At neque Tiresias neque chorus neque ipse Bacchus Cadmo has „humiles agendi rationes" unquam vitio vertit; immo Cadmum ab omni culpa liberum esse quum ex ipsius Cadmi sermonibus tum ex Tiresiae et chori verbis intelligi potest; cf. V. 196, 1297, 1302, 1327 sq. Sed, ut verissime dicit Boeckhius,[3]) „fati severitas postulabat, ut una cum impiis filiabus et cum sacrilego nepote Pentheo periret pater et avus sanguine conjunctus, neque vero haec poena est, sed ita fati leges jubent".

5. Apollod. III, 5, 4 de Cadmi et Harmoniae exilio haec tradit: *„Κάδμος μεθ' Ἁρμονίας Θήβας ἐκλιπὼν πρὸς Ἐγχελέας παραγίνεται. τούτοις δὲ ὑπὸ Ἰλλυριῶν πολεμουμένοις ὁ θεὸς ἔχρησεν, Ἰλλυριῶν κρατήσειν, ἐὰν ἡγεμόνα Κάδμον ἔχωσιν. οἱ δὲ πεισθέντες ποιοῦνται ἡγεμόνας τούτους καὶ κρατοῦσιν. καὶ βασιλεύει Κάδμος Ἰλλυριῶν καὶ παῖς Ἰλλύριος αὐτῷ γίνεται. αὖθις δὲ μετὰ Ἁρμονίας εἰς δράκοντα μεταβαλὼν εἰς Ἠλύσιον πεδίον ὑπὸ Διὸς ἐξεπέμφθησαν"*

1) „αἳ ξαίνουσι τὸν Πενθέα" Philostr. Im. I, 18. cf. Welcker l. l. p. 330.

2) De Euripidis Bacchis. Berol. 1837. p. 49.

3) l. l. p. 321.

Ex hac Apollodori narratione Schoenius colligit, barbaros, qui Bacch. 1334 commemorantur, Illyrios esse. At hoc profecto ex Apollodori verbis colligi non potest. Immo Apollodorus expressis verbis narrat, Cadmum ad Encheleos pervenisse et his Apollinem imperasse, ut Cadmum ducem adversus Illyrios sibi sumerent. (cf. Bacch. 1334 *βαρβάρων ἡγούμενος*). Ergo potius verisimile est, barbaros, quorum Euripides V. 1334 et V. 1354 mentionem facit, Encheleos esse. Cf. etiam Strab. VI, 7: *„ἐν τοῖς Ἐγχελείοις οἱ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον καὶ τὰ μυθευόμενα περὶ αὐτῶν δείκνυνται."* — Enchelei Epirotarum gens erant. Etymologica autem ratio in mytho illo de Cadmi apud Encheleos adventu conspicitur; nam nomen *„Ἐγχελεῖοι"* cum *„ἔγχελυς"* cohaeret; *„ἔγχελυς"* autem ab *„ἔχις"* derivandum, ut „anguilla" ab „anguis". Cf. Haupt. ad Ovid. Met. IV, 563. — In hoc Euripides a ceteris scriptoribus discedit, quod Cadmum cum barbarorum illa in Graeciam expeditione conjungit, cujus expeditionis mentio fit Herod. IX, 42.

6. Ovid. Met. IV, 563—603 narrat, Cadmum quum in barbarorum terram pervenisset, malis annisque gravem a Diis petivisse, ut in anguem verteretur; nam ita tantum iram Martis placari potuisse, cujus draconem Cadmus olim interfecisset.

Haec cum Euripide non consentire videntur. At monendum est, in tragoedia nostra priorem Bacchi orationis[1]) partem intercidisse[2]); suspicor autem, in hac orationis parte deum Cadmo

1) V. 1330 sqq.

2) Amissa huius orationis pars major fuit, quam Schoenius (introduct. p. 22) existimat; nam non solum haec amissa sunt, quae Bacchus Cadmi filiabus imperat, sed etiam ea, quae ipsi Cadmo vaticinatur, ex parte tantum servata esse videntur.

praedixisse, fore, ut propter iram Martis in anguem verteretur. Nam intelligi non posset, cur e Bacchi vaticinio Cadmus in anguem vertendus esset, nisi vetus illud adversus Martem peccatum luendum fuisset.

7. Hartungius (Eur. restit. II, 557) suspicatur, in amissa Bacchi orationis parte deum Agavae mandavisse, ut in Illyriam se conferret ibique Lycothersae regi nuberet[1]).

Similiter Koehlerus[2]) in Euripidis Bacchis Agaven cum Cadmo in Illyriam fugere dicit.

In hoc falluntur viri docti. Nam in Eur. Bacchis sane etiam Agavae e patria fugiendum est, at de terra, in quam fugere debeat, a Baccho nihil ei praescriptum esse, patet ex V. 1366, ubi Agave patrem interrogat:

ποῖ γὰρ τράπωμαι, πατρίδος ἐκβεβλημένη;

Ergo ipsa Agave, quonam sibi fugiendum sit, plane ignorat, etiam Cadmus nescit; respondet enim filiae:

οὐκ οἶδα, τέκνον, σμικρὸς ἐπίκουρος πατήρ.

Etiam in hoc Koehlerus fallitur, quod Agaven una cum Cadmo in exilium proficisci putat. Immo filiae a patre discedendum esse, intelligitur ex V. 1363, ubi Agave exclamat:

ὦ πάτερ, ἐγὼ δὲ σοῦ στερεῖσα φεύξομαι.

8. Euripides, qui in prioribus[3]) tragoediis vulgi de rebus sacris opiniones refutaverat, in hac tragoedia non populares religiones, sed adversarios popularium religionum impugnat. Ubique enim castigat sublimes illos viros, qui deos spernunt et religiones labefactare student, ubique pietatem avitam laudat et fidem a majoribus traditam contra arrogantem sapientiam defendit[1]).

---

1) Conferri jubet Hygin. 184 et 254.

2) Ueber Nonnus von Panopolis. Halle 1853. p. 57: „Endlich folgt bei Euripides Agave — wie auch bei Andern, vgl. Unger: Theban. parad. p. 51 ff. — dem Kadmus nach Illyrien, wovon Nonnus nichts sagt“.

3) Bacchae in Macedonia sub exitum vitae ab Euripide compositae esse videntur. cf. Elmsl. ed. Bacch. p. 4. b.; Bernhardy. Prooem. hib. Hal. 1857. p. III; Grundriss der gr. Litt. II, 2. p. 350 (ed. alt.).

Itaque nuper vir quidam doctissimus[2]) putavit, Euripidem in hac fabula pristinas sententias dissimulasse et fictam pietatem ostentasse, ut Archelai, Macedonum regis, favorem captaret, apud quem extremam vitae partem Euripidem degisse constat.

Qui tali macula tanti viri ingenium moresque adspergere auderet, gravissimis argumentis tam acerbum judicium comprobare aequum erat. Sed non comprobavit. Nam si dicit, Euripidem in hac fabula a pristinis sententiis suis recessisse, hoc argumentum nihil valet ad judicium illud comprobandum, quia bene cogitari potest, poetam re vera ad religiones tralaticias, quas antea contempserat, ingravescente aetate redisse[3]). At Euripides sententias suas neque mutavit neque dissimulavit. Non enim in hac tragoedia religiones populares celebrat aut vulgi superstitiones commendat, sed sacra civitatis instituta contra illos philosophos defendit, qui non satis haberent, indignas vulgi opiniones refutare, sed ipsa pietatis fundamenta labefactare conarentur[4]). Quinam hi philosophi sint, satis aperte ab Euripide indicatum est. Etenim toties repetita verba *τὸ σοφόν, σοφίζεσθαι*[5]) satis declarant, So-

---

1) VV. 200—203, VV. 386—401, VV. 427—431, VV. 882—896; cf. VV. 1150—52, 1325--26.

2) Klein. l. l. I, p. 413, ubi hanc tragoediam vocat „seine reumüthige Palinodie, womit er die Philosophie seiner freigeistischen Dramatik frommgläubig abschwor, womit er allen seinen früheren Kunstprincipien in's Gesicht schlug und vielleicht nur aus höfischer Wohldienerei gegen den von Koenig Archelaos gepflegten Bacchoscult seine Philosophie, seine Ueberzeugungen, seine Kunstpraxis verläugnete;“ et alio loco dicit (p. 441): „Das Pater peccavi hatte ihm der Liber Pater inspirirt aus Archelaos' goldenen Weinpokalen“. Cf. etiam Bunsen: Gott in der Geschichte, Vol. II. (Leipzig 1858) p. 438 sqq.

3) cf. Winckelmann l. l.; Goebel: „Eurip. de vita privata et domestica quid senserit“ Monast. 1849, p. 13—14; Naegelsbach Nachhom. Theol. p. 463—466.

4) cf. Bernhardy Prooem. hib. Hal. 1857, p. X et p. VIII; Grundriss der gr. Litt. II, 2, p. 426.

5) V. 200, 203, 395, (427?), 1005.

phistas in hac tragoedia impugnari[1]), quorum et duces primarios et sectatores Atticos in diis sacrisque Graecis nihil nisi pias fraudes et callida commenta legumlatorum agnovisse constat[2]). Nunquam Euripides sophistarum doctrinae adictus fuit; etenim jam in prioribus tragoediis multis locis impiam illorum levitatem et fucosam sapientiam acerrime perstrinxerat[3]); non mirum igitur, si sub exitum vitae eo acrius perniciosam illorum doctrinam impugnavit, quo magis eorum et numerus et auctoritas creverat.

[1]) Bernhardy Prooem. hib. Hal. 1857, p. XI; cf. Naegelsbach l. l.
[2]) Bernhardy l. l.
[3]) cf. Goebel l. l. p. 53, Naegelsbach l. l. p. 462—63.